DELICIAE TRANSMARI-NAE,

id est

INSIGNIVM

LIQVOT MARIS MEDI-terranei, Insularum, Portuum ac maritimorum oppidorum

DESCRIPTIO:

n itinera tantum ac loca per quæ transeundum exprimens, verumetiam quid in singulis rarum visuque dignum occurrat, indicans.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Sumptibus VVilhelmi Lutzenkirchij.

ANNO MDCX.

VIRTVTE AC
DOCTRINA ORNATISSI-
MO VIRO, D. HENRICO BILDERBE-
QVIO, amico & fautori meo in pri-
mis colendo.

Elicijs vrbium, superiori anno in publicum rursus librarij opera propositis, iam hac veluti Bellaria & mensas secundas appono; & has quidem si non gustu & suauitate, raritate tamen non minus quam illas com-latas. Transmarina enim sūt, & non quidē è re-ssimis Antipodum, amœnissimis tamen totius Eu-insulis petita. Quid enim Cypro venustius? vbi n Venerem natam esse & habitasse Poetæ non caussa fabulantur. Quid Creta illa celebratius, ia centum vrbes fuisse olim ferunt? quam hodie-vt alia taceam, vinum inter omnia delicatissi-i inprimis commendat. Rhodum taceo semper im: nec Melitam commemoro, Turcarum obsidi-& clade celeberrimā: alias etiam vniuersi Maris iterranei ad Asiæ vsq; fines insulas, portus & op-silentio prætereo: quibus nihil amœnius, fertilius delicatius, siue cœli siue soli ingenium spectes, à sum, quisquis vidit affirmat. His nostri orbis ma-im insulam, & velut alterum orbem, magnam

Britanniam scilicet, in qua feliciter iam magnus Rex Iacobus regnat, addere animus erat: sed temporis angustia exclusus, rem in alium tempus differre sum coactus.

Cæterum hoc leuidense opusculum Tuo Nomini, vir ornatissime, inscribere volui, non vt pro tam obuia in me humanitate par aliquid facerem; sed vt tantum hoc veluti obseruantiæ meæ pignus & testimonium publice exhiberem. Id vt Tua Humanitas, dum maius aliquid & dignius nobis nascatur, bonam in partem accipiat, ac me commendatum sibi habeat, etiam atque etiam rogo. Coloniæ 21. Martij, Anno salutis M D C X.

Hum. Tuæ

addictiss.

GASPAR ENS L.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

MVLTI in ea ſunt ſententia, exiſtimantque veram eruditionis & prudentiæ laudem, non ex Libris tantum, ſed ab vſu etiam & experientia, tanquam rerum o-
nium Magiſtra, quærendam eſſe. Non debent i-
ur ij tantum ſapientes iudicari, qui literis in-
uti, ſcientiæ titulum ſibi vendicant: ſed mul-
magis illi, qui omnibus alijs poſthabitis, re-
n periclitatione edocti, verſatique in hoc mũ
quaſi vitæ humanæ Theatro, & diuerſitatem
gionum, & mores hominum diſſidentes, vitæ
empla, & alia quam plurima, quæ ſeſe pere-
nantibus offerunt, inſpexerunt. Quid enim
pius? Quid homine ſtudioſo, præſertim nobi-
ndignius? quam ſemper domi ſub tecto ſedere,
ita in otio, omni gloria & laude carente ſene-
re; neque cogitare aliquando, ex hoc tanquam
nis opaco & circumſcripto domicilio ad re-
n maximarum cognitionem evolandum eſſe.
hoc autem ſuſcipiendum animos liberales
quæ non mediocris eſt vtilitas inuitare debet
autem eſt, quæ Nobiles quidem potiſſimum
ornat: illos vero, qui originem ſuam à tenui-
s principijs duxerunt, non ſolum clariſſimis
ibuſuis viris commendat, ſed ſæpe etiam illis
mparat empeiria ſeu experientia rerum, qua
æditi homines, tanquam HESPERVS, inter
liquos prælucere ſolent.

Cum enim aliquid vel audimus vel legimus
Prouinciarum amœnitate & fertilitate:

de bene alicuius Regni constituta Repub. de vera Religione, & cultu diuina: de hominibus literatis: de recta iuuentutis educatione & institutione: de bene denique moratis ciuibus; an non id iucundum, & gratum, imo etiam vtile est omnibus? At multo iucũdius, multoque vtilius est, res ipsas, vt sunt contemplari & inspicere: qua de re eleganter Horatius:

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus?

Quis igitur verus rectusque peregrinator? Aliarum terrarum impiger perlustrator, & diligens earum rerum obseruator, quæ scitu sunt necessariæ & vtiles, quique suam peregrinationem, non temeritate quadam, sed vtilitate publica, honestate & gloria motus prudenter instituit; neque leui causa se à proposito suo distrahi aut impediri patitur, sed ijs rebus, quarum gratia peregrinatur, subinde sedulo inuigilat. Vale Lector & alienos labores, vnde aliquid boni ad te redit boni consule, exhibeq; grati animi significationem, quod nostris laboribus, quantum in nobis fuit, prodesse tibi studium fuerit.

ELEN-

ELENCHVS ITINERVM HVIVS LIBELLI.

[ITER AVGVSTA VINDELICORVM Frisingam, Landshutum, Passauiam, Lentiam, Lau ;atum vulgo Ens, Viennam, Posonium, Comaum, Strigonium, Vicegradum, Budam, Belgraım, vulgo Griechisch VVeissenburg, Sophiam, ıilippopolim, Adrianopolim, Chiorlich, & onstantinopolim.

ITER AugustaVind. Cirellum, Oenipontem, ridentum, Sterczingum, Brixinam, Pozzanum, ridentum, Tarvisium, Venetias.

Aliud Iter Sterczingo Venetias, per Seravalm Mestresium, indeque Venetias.

Navigatio Venetijs Parentium, Iaderam siue aram, Sebenicum, Lixinam, Curzolam, Epidauım siue Ragusium, indeque terrestri itinere Cōıntinopolim.

Navigatio Epidauro siue Ragusio Dulcignum, ulonem vulgo La Valona, Corcyram, Cepha›niam, Zacynthum vulgo Zante, Striuali insuıs: Methonem vulgò Modon, Tenaram vulgò :abo Matapan, Capu Malæum in Peloponneso: 'ytheram insulam; Malvasiam & Neapolim Roıaniæ opida: Eubœam vulgo Negro ponte, Scy›s, Lemnum vulgò Stalimene, Insulas: Sestum ; Abydum vulgo Dardanelli, Callipolim &

Conſtantinopolim.

Iter Conſtantinopoli Scutarium & Cartali pagos,Gehiſe,Nicomediam Bithyniæ oppidum Kaſocki, Niceam, Boſonick ſiue Caſſum Baſſa Chiauſdan,Ancyram,Amaſiam.

Iter Conſtantinopoli Aſcaram in Natolia: Adenam in Carmania, Halep & Damaſcum in Syria:Ioppen,Ramam & Hieroſolymam in Paleſtina.

Nauigatio Conſtantinopoli Tenedum, Metylenem, Chium,Samum,Nicariam,Palmoſam, Nicſiam,Murgo,Namfio,Theraſiam,Milo,maris Aegij inſulas,indeque Venetias.

Nauigatio Venetijs Cretam , Carpathum, Rhodum,Cyprum,inſulas:inde Tripolim Syriȩ: deinde deſcribitur iter Tripoli Alepum : indeq; Balſeram ad ſinum Perſicum;vnde nauigatur Armuzium inſulam,ad fauces ſinus Perſici,vnde cō modè nauigari poteſt Goam celeberrimum, Indiæ orientalis Emporium.

Iter Auguſta Vindelic.Patavium, Ravennā, Ariminum,Piſaurum,Fanum, Senogalliam, Anconem, ſpoletum,Interamniam,Narniam,Ocricolum,Romam.

Aliud Iter Romam per Tridentum,indeque Veronam,Mantuam,Bononiam,Florentiam,Senas,Aquampendentem,VVilſinam,Montem Phaliſcorum,Viterbum,Roncillionum , Romam: indeque Terracinam,Fundos, Itrum , Formias, Capuam,Averſam,Neapolim:indequeSaletnum Ebolum,Coſentiam,Rhegium,Meſſanam : indeque navigio Panhornum;vnde nauigatur ad Me-

litam

litam insulam, Equitum Iohannitarum sede claram illustremque.

Iter Augusta Vinde. Campidoniam, vulgò Kempten, Churiam, Clavennam, Geram, Comũ, Mediolanum, Certosam, Ticinum, Vogeram, Derthonum, Genuam.

Iter Augusta Vindel. Novaram, Vercellas, Taurinum, Niceam: Indeque navigio Algeriam, vulgò Algier.

Nauigatio Algiera, Tunetum, Aphrodisium Alexandriam, Cosettam, Natubes, Foua, Boulac, & Cairum.

Iter Cairo in montem Sinai & Oreb, reditusque inde Cairum.

Iter Cairo Catarum, Bilbez, Salatiam, Belbã, Gazaram, Ramam, Hierosolymam, Elpiram, Naplosam, Nazareth, Capharnaum, Damascum, Cal cous, Balbec, Lubon, Hamous, Haman, Marat, Halep, Heirim, Antiochiam, Sarameli, Adenam, Heracleam, Sarameli, Iconium, Anciram, Acharam, Caracharam, Cute, Prusam, indeque Constantinopolim.

Iter Constantinopoli Smielum, Iassum, Chotymum, Camenetiam.

Aliud iter Constantinopoli Camenetiam, per Pontem Parvum & Pontem Magnum oppida: Selybriam, Tzurulum, Hapsalam, Adrianopolim, Haidosch, Provadiam, Carasu, Monaster, Obluczice, Hus, Camenetiam: Indeque Leopolim, Iavorovv, Iaroslaviam, Niepolomice & Craouiam.

ITER Auguſta Vindelicorum, Brianconem, vulgo Briancon: Ebredunum, vulgo Ambrum: Sigeſtorium vulgo Ciſteron: Aquas ſextias vulgo Aix: & Maſſiliam vulgo Marſeille.

FINIS.

ITER Augusta Freisingam 7. Landshutum $6\frac{1}{2}$ Lentiam vulgò Linczium; Germanicè Lincz 11. Simul 36.

o. Fridberg	1.	Parr	7.
Hohencel	1	Zeidelbach	1
Inderstorff	1	Camervverg	$\frac{1}{2}$
Crantzperg	1	o. Freising	1
		simul	7.

Freisingam vsque sunt milliaria 7.

o. Mosburg	$3\frac{1}{2}$	Ehing	$1\frac{1}{2}$
o. Landshut	$1\frac{1}{2}$	simul	$13\frac{1}{2}$

Landshutum vsque numerantur mill. $13\frac{1}{2}$

Trunthausen	3	Simpach	2
Samesch	1	Allerspach	2
Co. Ortenburg	$1\frac{1}{2}$	o. Passavv	2
		simul	25

Passauiam vsque numerantur mill. 25

Haffnerzel	2	Engerzel	1
Rana	2	Assach	3
Freienstein	1	Attensheim	1
o. Lincz	1	simul	36

Aliud iter Augusta Lentiam.

Landshutum in præcedenti itinere numerantur $13\frac{1}{2}$

Geisenhausen	1	Biburg	1
Ganghoven	1	o. Engelfelden	$1\frac{1}{2}$
o. Engelfelden	$1\frac{1}{2}$	Pfarkirchen	2
Pirnpach	$1\frac{1}{2}$	Kirckhain	1
Rustorff	1	o. Scherding	1
Tauffkirch	1	Sigharting	$\frac{1}{2}$
S. VVibolt		Peurbach	$1\frac{1}{2}$
VVacsenkirch	1	Efferding	2
Altenhouen	$\frac{1}{2}$	Peischling	$\frac{1}{2}$
o. Lincz	$1\frac{1}{2}$	simul	32

Len-

Lentiam in itinere præcedenti numerantur	32		
Bulgarn	1	Mathausen	2
Grein	4	Strudel	1
Syrmingstein	1	o.Ips	2
Pachlarn	2	o. Melck	1
Schonpuhl	$\frac{1}{2}$	Aspach	$\frac{1}{2}$
o.Spitz	1	VVeissKirch	2
Thurstein	1	o.Steinvnd	
o.Krems	1	simul	52.
Langevveert	$1\frac{1}{2}$	Gravevveert	$\frac{1}{2}$
Steldorff	2	Smydavv	$1\frac{1}{2}$
Stockeravv	$\frac{1}{2}$	o.Korneuburg	2
LangEntzdorff	1	o. VVeen	1
10.		Summa	62.

Aliud Iter Lentia Viennam cis Danubium.

Lentiam numerantur Augustæ mill.			32
Hochel	1	o.Ens	1
		simul	34.

Lauretum vsque numerantur	$34\frac{1}{2}$
Sternberg	$3\frac{1}{2}$
o.Ips	$3\frac{1}{2}$
Pachlarn	$1\frac{1}{2}$
o.Melck	$1\frac{1}{2}$
o.S.Poltin	$3\frac{1}{2}$
Tulbing	4
Maurbach im VValdt	$1\frac{1}{2}$
VVring	2
o.VVeen	1.
simul	$56\frac{1}{2}$

Vien-

Viennam vsque numerantur Ebersdorff 58½

Vsschamind 4 o.Haimburg 4

o.Presburg 2

simul 66½.

Posonum vsque numerantur Augusta 66½.

Comaram siue Comarium numerantur Posonio 8.

Simul 74½.

Comarinm in itinere præcedenti numerautur Augusta milliar. 74½

Curta distat Comario mill. 3

Strigonium, vulgò Graen, abest Curta 3.

Simul 80½.

Strigonium in itinere præcedenti numerantur 80½

Vicegradum, vulgò Plindeburg, distat Strigonio 2

Simul 82½.

Vicegradum in itinere procedenti numerantur 82½.

Alt Ofen 3 o.Buda 1

simul 86½.

Budam in itinere præcedenti numerantur 86½

S.Gerhartsberg	2 Potentiana		2
Theten	2 Adom		2
Zygetfovv	2 Zachickuy		2
Pentola	2 Apostag		2
Almas	2 Pax		2
Tetra	3 Bonaventura		2
Bata	2 o.Mohacz		3
Danoch	2 Nazadit		2
VValckvvar	2 Zada		2

Athaia

Athaia	2	Vilack	2
Nesth	2	Keroska	2
o. Bon Monstor	2	Sereck	2
Bechze	2	o. Dombo	2
Zerleck	2	Kamacza	2
o. Petervvardin	2	Kerom	3
o. salankemen	2	semlijn	2
o. Griechisch VVeissenburg			4

Simul 157½.

Belgrado Constantinopolim iter est 26. dierum.

1 Bulkovvar siue Bucovvarminus.
2 Bulkovvarmaius.
3 VVadaschin siue Badoschin.
4 Iadogna, pulchrum oppidulum.
5 Barokin vilis pagus.
6 Hassan Cassa Caravasarei.
7. Nissa.
8 Curischesma pagus.
9 Pirotin oppidulum.
10 Dragomanei pagus.
11 Sophia emporium nullis muris cinctum.
12 Ellekliſſa vilis pagus Bulgariæ.
13 Gelderbend pagus.
14 Tatar Bassan oppidulum.
15 Philippolis.
16 Eggiali vilis pagus.
17. Hermandili.
18 Mustaffa Bassa Tingpij.
19 Andernopolis.
20 Hapsala pagus. 21 Eskibaba pagus.
22 Pregasch siue Burgasch, oppidulum.
23 Schurli oppidulum.

24. Sili-

24 Silibrea oppidum.
25 Porto piccolo oppidum ad mare.
26 Constantinopolis.

Iter Augusta Cirellum, vulgo Czierle 21. Oenipontem 2. Simul 23. Stercingam 6. Brixinam 4 Pozzenum, vulgò Boczn 6. Tridentum 7. Simul 23 Summa 46.

Hiesta	1	Stadel	4
o. Landsperg	2	Ronnakessel	1
Thenhausen	1	Schonga	2
Raitenbach	1	VVursavv	
Amberg superius		Etal	$2\frac{1}{2}$
Partenkirchen	$1\frac{1}{2}$	Transi montem	
Mittenvvalt	2	Schernitz	
Seefelt	2	Transi montem	
Czierle	1		
o. Oenipôs, vulgò		Inspruck	2

Simul 23.

Oenipontem vsque numerantur mill. 23.

Matran	2	Stainach	$\frac{1}{2}$
Lug			1

Transcendendi vasti Pyrenei, vulgò Brenner ltus, & scopuli, cui niue tincta coma est, glacie get aspera barba.

Gossensass	2	Sterczingen	$\frac{1}{2}$

Simul 29

Sterczingum vsque numerantur mill. 29

Beisser 2

Contendendum per saltus & salebrosas Alum cautes. o. Brixen 2

Simul 33.

Brixen vsque numerantur mill. 33.

Cluse

Cluse 2 Kolman 1 Artzvvang 1
Blumavv 1 o.Boczen 1. simul 39.

Boczen vsque numerantur mill. 39.

Nevvmarckt	3	Salurn	1
S.Michiel	1	Neves	1
o.Trento	1		Simul 46.

Tridentum in præcedenti itinere numerantur milliaria German. 46.

Hinc Venetias numerantur mill.Ital.

Perseno	5	Borgo	15
Hospital	10	Scala	10
o.Feltre	10	Quer	7
Treviso	10		Mill.Ital.67.

Tarvisium in itinere præcedenti numerantur 67.

Margera	12	Venetiæ	5
			Simul mill.Ital.84.

Aliud iter Sterczingo Venetias.

Sterczingum in itinere præcedenti numerantur milliaria German. 29

Beisser 2 Mulbach 1
o.Bruneck 3. Niderdorff 3. Gasthaus 3.
Hayden 1. Simul mill.Germ.42.

Sequentia sunt milliaria Italica.

Monat 8 S.Martin 9. Baravel 3
Spithali 5 La Garona 5. Plasburg 10.
Teutsch Eck 10. o.Seravale 7. 57.

Seravalum in itinere præcedenti numerantur 57. Mill.Ital.& 42.German.

Colalto 7. S.Leonardo 8. o.Treviso 7
o.Mestre 10 89.

Mestresium in itinere præcedenti numerantur milliaria.Ital.89. & mill. German.42. Venetia 5.

ITER

ITER SIVE NAVIGATIO VENETIIS PARENTUM, IADERAM SIVE ZARAM, Sebenicum, Lixinam, Curzolam, Epidaurum sive Ragusium, indeque terrestri itinere Constantinopolim.

ISTRIAM prius dictam Iapidiam Plinius indicare videtur, de Carnis in hæc verba scribens: *Carnorum hæc regio iuncta regioni Iapidiæ suntq; qui Iapidiam ante vocatam dixerunt, quàm in hæc loca, quæ tum Aborigenes habebant, Argonautæ venere, natumque post Argonautas nomen Istriæ, vt Trogus memorat, inquiens:* Istrorum gentem fama est originem à Colchis ducere missis ab Aeta rege, ad Argonautas raptoresque filiæ persequendos, qui vt à Ponto intraverunt Istrum, alveo Sai fluminis penitius invecti, Argonautarum insequentes naves, humeris per iuga montium, suas vsque ad littus Adriatici naves transtulerunt, cognito quod Argonautæ propter longitudinem navis idem fecissent, quos vt advecti Colchi non reperiunt, sive metu Regis, sive tædio longæ navigationis, iuxta Aquileiam consedere, Istrique ex vocabulo amnis, quo à mari concesserant, appellari. Hactenus ille. Plinius Istriam denominatam ab Istro flumine in Adriã

ex Danubio amne profluente, ex aduerso faucibus Padi, contrario eorum percussu, mari interiecto dulcescente, plerosque falso tradidisse dicit, & inter eos Cornelium Nepotem etiam Padi accolam: nullum enim ex Danubio flumen, in Adriaticum effundi; deceptos vero, se credere, quoniam Argo navis in Adriaticum descenderit, nec procul Tergeste, neque constare quo flumine: sed humeris transvectam Alpes diligentiores tradidisse, subijsse autem Istro, dein Sao, dein Nauporto, cui nomen ex ea causa sit, inter Hæmoniam & Alpes exoriente. Sic Plinius. Aliter autem Cato Istriam à duce quem Ianus miserat, nomen retinere prodit, additque mox: At Græcorum quidam scribunt, dictam ab Istro amne, cognomine Danubio, cui Danæ gentes accolæ nomen impressere, fabulanturq; ramum ex eo in Istriam effluere, inque Adriaticum mergi. Fingunt alij Argo navem primum ab Istro è montibns humeris vectam, & in Adriaticum demissam, videlicet tanta est inmētiēdo Græcorum vanitas simul & levitas, vt ab Istri ostijs, ad eius fontes, immensa gentium spatia transuolauerint, & amnes etiam obstantes tranauerint, & humeris ea convecta navigarint, vt etiā in Italia mentiendi sibi locum inueniant; nescio Argo nauine Græci aquas, in Argo navis humeris montes nauigarit: Hæc Cato. Ad quæ Ioannes Annius notat, haudquaquam ab Istro fluvio dictam Istriam, cum ille amnis, nomen Istri non habeat, nisi remotissimis ab Italia locis, vbi Illyricum alluit, vt auctor est Plinius. Itaq; denominatam potius ab Istro principe, quem Ianus, tū Italię præsi-

dens

dens hæc in loca miserit, vt Cato per hibet. Tanta de nominis Istriæ primordio scriptorum varietas est, nec aliud habuisse inuenitur. Regio est peninsulæ forma, quemadmodum à Plinio Ptolemæoque describitur, latitudine 40. M.P. circuitu vero 122. Nempe à Formione fluvio, qui nunc Risanus, vsque ad intimum angulum Carnarij sinus, vbi Castellum Novum, cum Arsiæ fluminis ostio est. Multo igitur per mediterraneum brevius iter, quippe quia per montes, inter Formionem & Arsiam 40. duntaxat millia numerantur, at per oræ ambitum 122. M. vt diximus, sunt. Delectationem hercule summã huius extremitatis Adriatici pelagi, inter Venetias & Iustinopolim spectatio habet, quod ora vbique curva inflexaq; sit, adeo quidem vt recta mari Italiam petenti, medio fere cursu hæc in dextram ad Italiam incedere peninsula cernatur, nimirum à fonte Formione vsque ad Fanaticum promontorium, vti quoq; Plinius demõstrare videtur. Erunt itaque termini Istriæ ab occasu Formio amnis, quo ForumIulium finitur, parsque maris Adriatici: à meridie pars item maris, vti ab occidente quoque, cum Arsiæ fluminis Italiæ termini ostio, dein à Septentrione Alpes, quæ Carniolam & Pannoniam ab Italia submovent. Sunt in hac regione, vrbes, oppida pagiq; multi, cum modicis insulis & scopulis in ora ipsoque mari, ad eam pertinentibus.

Parentium vulgò Parenzo in Istria distat Venetijs Mill. Ital. 100.

SITVM obtinet Parentium in peninsula, estq; mœnibus turribusque eximijs munita. Portũ

habet maximis quibusque navibus excipiendis opportunum, obiectu insulæ D. Nicolai, in qua Cœnobium & Turris antiquissima rotunda, quōdam vsu luminis, quod navigantibus iter in portum præmonstrabat, habita.

Iadera, vulgò Zara, distat Parentio, Mill. Itall. 200.

IADERA colonia, Liburnorum Metropolis, hodie est munitissima. Iacet humili in Chersonneso, ac optimum habet portum. Liburnia autem, cuius Metropolis est Iadera, pars est Illyrici seu Illyridis, quæ est iuxta oram Adriatici maris, Italiæ opppsita, extenditurque ab Arsia, qui est Istriæ terminus, ad Macedoniæ vsque confinia ad fluvium Drino vulgò dictum nempe, quo spatio continentur 480. Milliar. eius latitudo est à Croatiæ montibus ad mare vsque Milliar. circiter 120. Continet antem Illyricum Dalmatiam regionem, quæ versus Macedoniam est, & Liburniam, quam Crabaten aliqui, alij Croatiam, quidam verò Comitatum Iaderæ, vulgò Contado di Zara dicunt, cuius quidem Liburniæ pars orientalis, contra insulam Arbe, Morlachia, recentioribus tabulis vocatur. Illyridis porro regio, vt ait Strabo, aprica est, fructifera, bonis fructibus, feracissimis olivetis, vinetisque speciosa, nisi sicubi rara, & aspera omnino rupibus iacet. Occidētalis Liburniæ ora excelsis montibus vallatur, qua autem Septentriones spectat Liburnia terram habet satis feracē, tritici maximè: multæ valles, multi colles, multique lacus hic sunt. Præcipuus fluviorum eius est Dravus. Ora eius maritima optimo-

optimorum piscium copia affluit.

Sebenicum distat Iadera,
Mill. Ital. 50.

SEBENICVM urbs Ptolemæo Sicum vocata, sita est in Scardonico sinu, in conspectu irrumpentis freti, ad montis radicem, vbi Arx est. Fertiles circa eam agri sunt, sed vrbs rarè habitatur ob Turcarum vexationes.

Lixina insula distat Zebenico mill. 80

LIXINA insula, vulgò IEZINA, Ptolemæo Pharia vocatur, Pharos Plinio. Est reliquis circa eam insulis maior. Eius ambitus est 150. mill. & plus quam 6. millia habitatorum in ea sunt. Vrbs in ea est, cum opportuno portu, & magnæ classis capaci, qui vento tantum Garbinio subiacet. Frumenti inops est, sed vino & ficubus maximè affluit. Ex piscibus, vulgò Sardelle dictis, magnum recipit prouentum.

Curzola distat Lixina, *Mill. 50.*

CVRZOLA insula, quæ Ptolem. & Plinio *Corzyra Melania* dicitur, longa est Mill. 40. ampla 90. paucam mittit frumenti copiam, sed tamen vinum copiose fert.

Epidaurus sive Ragusium distat Curzola,
Mill. Ital. 50.

EPIDAVRVS sive Ragusium vrbs antiqua, iuxta cuius ruinas Ragusium, vrbs clara iacet, cum arce munitissima, vulgò Ragusi vocata, & Turcicè Dobronicha, quæ quidem emporio & Republica nobilis est. Incolæ inprimis mercaturam exercent, ac multas optimasque habent na-

 ves.

ues.Olim liberi erant, nunc Turcæ tributum singulis annis 14. millium aureorum pendunt. Horum ditio parum in continenti extenditur, at in mari nonnullas habent insulas, nempe *Lagustam* pulchram insulam, cuius in medio est planities oleo & vinetis fertilis, montibus cultissimis circumvallata. Isthic magna capitur Sardinium copia, quæ vulgo Sardelle vocantur. MELEDA & DANDEREM insulę ditionis quoq; suntEpidaurensium.Recipiunt hæ insulæ magnum ex Sardinijs emolumentum, quæ hic expiscantur.

Ragusium distat Venetijs sicut ante notatum est, milliar.Ital. 530

Inde iter Constantinopolim per loca sequentia.

Terebing 18 *Ruden* 20 *Guricia* 28
Cernice 25 *Triedo & Vratz* 24 *Cozza* 29
Bracha vbi excubiæ sunt 25
Pleme & Niosta, vbi sonitu mercatoribus securitas datur. 24

728

Priepoli ad flumen Lini 24
Santa Sava monasterium Caloierorum 35
o. *Novi Bazar* 40. o. *Ibar* 16. *Statonia* 25.
Suatza 25. *Bagoa* 27 *Clissorizza* 28
o. *Zaribrod* 35 *Belliza* 25 o. *Sophia* 15
Vacarevo 28 *Vienterno* 28 *Colopinzi* 32
Cogniza 34 o. *Philippopoli* 43 *Chindegegni*
Bastarama, id est oppidum Turcicum 34

494

o. *Adrinopoli* 25. *Sugath* 20. *Bergas* 28. o. *Chiorlich* 28
Chiamberga Sti 30. *Chochiugmeghi* 20 *Porto picolo*
o. Con-

o. *Constantinopoli* 12

Simul 1380

II. ITER.

NAVIGATIO RAGVSIO SIue Epidauro, Dulcignum, Aulonem, vulgo la Valona, Corcyram, Cephaloniam, Zacynthum, vulgò Zante, Strivali insulas, Metonem, vulgò Medon in Peloponneso, Tenaram vulgò Cabo Matapan, Caput Maleum, Cytheram Insulam, Malvasiam & Neapolim Romaniæ oppida, Euboeam, Scyros & Stalimene olim Lemnum insulas, Dardanelli, Callipolim & Constantinopolim.

Epidaurum numerantur Venetijs, Milliaria 530.
Dulcignum distat Epidauro, Mill. 120
Aulon distat Dulcigno, Mill. 140

EST Aulon, vulgò La Valona, civitas navalis ad mare Ionium in Albaina. arcem habet in colle sitam, sed reliquum est sine mœnibus: incolarum maior pars Hebræi sunt. ager vrbis vinum generosum profert, & sal minerale copiose habet, Distat hæc vrbs à continenti Italiæ 60. mill. scilicet ab vrbe Hydrunto.

Corcyra post se relinquit Aulonem, Milliar. 60.

CORCYRA insula, olim Scheria, & Phæacia, Plinio teste, vocata fuit, atque etiam Drepanum & Argos, nunc vulgò Corfu dicitur. Distat à continenti Epiri duobus circiter milliaribus, vbi propius: alij dicunt decem: vbi autem longius 20. protenditur ab occasu in ortum mill. 541. circiter, in formam arcus: lata est 24. Eius circumnavigatio est 120. mill. licet diversum alij scribāt. Olim Homero teste fœcunda fuit, ab eodemque poemate illustrata est, quod ibi felices viri procrearentur, & rei maritimæ maximè studiosi. Ab parte Septentrionali plana est, ad Meridiem alpestris ac importuosa. Ager eius non admodum fertilis, cum aquis destituatur, ac saxis exasperetur, quin etiam venti Austrini maximum solent damnum segetibus afferre cum maturuerint: incolæ itaque vites potius, oleas & poma nutriunt. Citria etiam Medicaque & omnium generum fructiferas arbores colunt, quæ fructus suavissimos & perfectissimos proferunt. Mellis hic & vini optimi affluentia est mira, ac etiam olei optimi, quæ omnia aliunde etiam deferuntur. Cœlum ist hic est temperatissimum, cum nemora ex C tris, Medicis ac huiusmodi arboribus constent. Non hic Lupi aut Vrsi inveniuntur, licet aliorum generum animalia non desint. In insula est vrbs, quę simul cum ea Corfu dicitur. Hæc in alto colle ædificata est, triplici nunc Arce egregiè munita, & dignitate Archiepiscopali decorata. Fluvij in hac insula non sunt, sed torrentes: in eaquoque est lacus seu fons, qui Cardachi nunc nuncupatur duobus miliar. in circuitu patens, cuius aqua toti in-

sulæ

sulæ deservit, eaque etiam aquantur complures naves ac triremes, quæ per Mediterraneum mare velificant. Sunt etiam isthic salinæ, ex quibus sal colligitur. Præter portum è regione vrbis, sunt etiam alij commodi portus. Insula hæc Venetis est subiecta, qui eam strenuè adversus Turcarum rabiem defenderunt. Incolarum pars maxima Græci sunt, aut Græco vivunt more. Circa Corcyram sunt parvæ insulæ, Cendin, Condilomisse, Pascu, huius circuitus est mill. 10. aliquotque domus in ea sunt. Præter has spectantur aliæ *S. Viti, Gibotta, Ragia, Fanu, le Morlere?* Formicæ dicuntur nec præter nomen aliquid habent.

Pascu insula distat Corcyra mill. 12
Viscardo portus in insula Cephalonia abest Corcyra mill. 65
Cephalonia arx in cognomini sibi insula, post se relinquit portum Viscardo dictum mill. 40

INSVLA quæ nunc Cephalonia dicitur, olim Melena, Samos & Seme dicta fuit, atque etiam Tetrapolis, ob 4. in ea vrbes. Iacet inter Epirum & Peloponnesum, estque 80. mill. longa, 40. lata; eius circuitus traditur mill. 60. Strabo eius circuitum scribit esse 307. mill. Plinius autem 306. Pars insulæ orientem spectans, montibus attollitur, inter quos vnus reliquis præcellit, in quo templũ fuit Iovis. Quamvis huius insulæ forma triangularis sit, sunt in ea multæ commodę stationes: vna Argostoli dicta, cuiuscunque classis capax, ab arce Cephalonia 6. mill. distat, Alia statio est ad Caput Guiscardo dictum, vbi rudera Palatij viden-

tur, magnæque vrbis ruinæ: inde antiquæ Monetę (vulgus Medalias vocat) eruuntur, aliæque res. Montibus, ſyluis ac planiciebus diſtincta eſt inſula. ager eius triticum profert ad abundantiam: Mellis verouvarum, paſſularum, ficuum, Mannæ & olei tanta hic copia vt aliunde etiam exportentur. armenta etiam animalium hic multa, vnde magna etiam caſei & lanę quantitas. Veruntamen inſula hæc aquis magnopere indiget. Sunt nunc in hac inſula circiter 6. mille familiæ Græcorum, Venetos dominos agnoſcunt. Mare quod inter Cephaloniam & Zacynthum eſt, nunc vulgò Canal di Zante dicitur.

Zacynthus, vulgò Zante inſula, diſtat Cephalonia 10

ZACYNTHVS inſula hodie Zante, olim Thyrrea dicta, diſtat à Peloponneſo mil. 20 circumnauigatio eius eſt mill. 60. Famoſa priſcis temporibus fuit, eſtque in ea eiuſdem nominis oppidum in colle, mari imminenti ſitum, ſaluberrimo aere gaudens, cum munitiſſima arce. ager inſulæ frumentum abunde profert, paſcuiſque idoneus eſt, ſed præcipuè uvas paſſulas, oleum & vinum gignit, ex quibus omnibus, circiter 150. aureorum mill. proventum recipiũt incolæ. Eſt hic pauca lignorum copia: frequentes hic ſunt Pagi, quos quidam 47. excedere dicunt. Vnicus in hac inſula capax Portus eſt, præter alias ſtationes tutas. Terræmotibus maximè ſubiecta eſt inſula. Incolæ Græci ſunt, parentque Reipublicæ Venetæ.

Stri-

Strivali scopuli olim Strophades, distant Zacyntho mill. 50
Methon vulgò Medon, vrbs in Peloponneso abest à scopulis Strivali dictis 60.

CLARISSIMA omnium peninsularum est Peloponnesus, quæ à Pelope homine barbaro, qui ex Asia veniens isthic regnavit, nuncupatur. Prius dicta fuit Argalia, Apia, Argios & Pelasgia, nunc verò vulgari vocabulo Morea dicitur. Iacet inter duo maria Aegeum & Ioniũ, solo Isthmo, Atticæ regioni, annexa; qui quidem Isthmus tantæ soliditatis existit, vt nemo hactenus eum secare, omnibus humanis viribus adhibitis potuerit: namque curiosi quidam Principes, quales fuere Demetrius Rex, Iulius Cæsar dictator, Caligula, Nero, & alij, eum perfodere tentauere, atque à reliqua Græcia divellere, quo breuior minusq; periculosa foret ex mari Mediterraneo in Archipelagum navigatio, atque tutior ipsa Peloponnesus redderetur, quamobrem fuit etiam aliquando in Isthmo ipso, à mari ad mare deductus murus, muniendæ Peloponnesi causa & arcendorũ hostiũ, qui murus Hexamiliũ vocabatur, eiusq; longitudo cõplectebatur mil. 5. quẽ superiori sæculo Amurathes Turc. Imp. prostrauit ac peninsulam totã deprædatus est ac vastauit. Sed postea an. 1453. à Venetis dominis iterum spatio 15. dierum restituitur, missis ad eum reficiendũ 30. millibus operarijs, sed is murus ab Turcis destructus fuit. Vocatur autẽ Isthmus Corinthiacus, à Corintho vrbe famosissima, quæ in eo fabricata erat, estq; omniũ Europę clarissim⁹. Cęt. Pelopõnesi lõgitũdo ab Isth-

ab Isthmo ad vrbem Methonem est mill. 175.eius circuitus traditur 600. fere mill. Valde capax est ob eius formam, quæ ad rotunditatem accedit, namque palatani folio persimilis est. Inhabitarunt terram hanc olim Arcades, Cyminij, Dorienses, Aetoli, Dryopes, Lemnij, Achæi & Corinthij. Peninsula porrò hæc caput & arx totius Græciæ est, & vt ait Plinius, haud vlli terræ nobilitate postferenda. Siquidem rebus omnibus, quæ vel ad victum vberiorem, vel ad elegantiorem vitæ cultum spectant, sua fœcunditate affluentiaque insignis est. Collibus enim & planiciebus fructiferis distincta est, ac refertissima sinubus & portubus, quos Promontoria multa efficiunt. Quamvis olim multis ornaretur vrbibus omnium rerũ copia florentibus, quæ omnes fere solo æquatæ, eversæ aut dirutę sunt, nihilominus est hodie populatior Græciæ pars. Fuit autem toto orbe quõdam maximè celebrata, propter Mycenarum, Argivorum, Lacedæmoniorum, Sicyoniorum, Eleensium, Arcadum, Pyliorum & Messeniorũ Respublicas & imperium, ex quibus multi claruerunt Principes, vt Agamemnon, Menelaus, Aiax & alij Hodie vero tota Peloponnesus Turcarum dominio subiecta est, sicut reliqua Græcia, licet fuerit ab aliquot regulis Græciæ, quos Despotas vocãt, & à Venetis dominis annis præteritis egregie defensa. Præest autem nunc Turcici Imp. nomine toti Moreæ Sangiacus, inter cæteros potentissimus, qui Modoni residet, & ad mandatum Beglerbegi Græciæ mille equites adducit, quos suo stipendio alit. Vocatur hic Sangiacus à barbaris Morabe-

Morabegi, cuius ſtipendium ſeu annuus proventus eſt in hac provincia 700.millium Aſperorum, hoc eſt 14.millium Aureorum. Vniuerſam hanc regionem,in octo provincias diviſam ex Ptolem. & alijs authoribus conſtat: quæ ſunt Corinthia, Argia,Laconica,Meſſenia,Aelis,Achaia,Sicyonis & Arcadia, in quibus ſingulis gentes eximie claræ,& oppida clariſſima fuerunt. Fluvij inſignes in hac tota regione ſunt Aſopus,nunc Arbon Theveto:Peneus,nunc nigro & Theveto Igliaro: Alpheus,qui accolis Rophea dicitur, vt Sophiano placet,& ſecundum Nigrum Orphea, Italis vero nautis Sarbon. In hoc quidem fluvio 140. amnes cadunt:albas maculas ac impetiginem ſanat. Paniſus,Seremo nunc Nigro, ſed Piruaza in Tabulis Caſtaldi & Mercatoris.

Caput Matapan nunc,olim Tenarium promont.in Peloponneſi regione Laconica,diſtat à Methone mill. 72

C.Malio vulgò dictum,olim Maleum promont. abeſt à C.Matapan mill. 60

Hoc promontorium in Peloponneſi regione Laconica verſus Cretam inſulam porrectum, ſævum valdeque importunum eſt,ventiſque aduerſis in Cytheram inſulam deflectendũ eſt, nec niſi longiſſimo flexu à nautis ſuperari poteſt.

Cythera inſula vulgò Cerigo dicta, diſtat à Maleo promont.mill. 80

CYTHERAM inſulam,quæ nunc Cerigo dicitur, veteres ſchoterram & Porphyrim,à pulchritudine marmoris,quod in ea erat, vt vult Ari-

Ariſtoteles, nuncupauere. Alij id nomen à Cythereo Phœnicis filio inditum volunt. Venus recés nata, hic educata fuit indeq́ue Cytherea appellatur. Prima eſt inſula maris Aegei, verſus occaſum è regione ſinus Laconici, qui vulgari idiomate Golfo di Colochina dicitur. Diſtat Cytherea à littore Peloponneſi mill. 5. patetque in circuitu mill. 60. multi in ea portus ſunt, ſed exigui nec ſatis tuti. Olim ciuitas hic fuit, cui Cythera erat nomen, in qua Veneris templum ſpectabatur. Arx in inſula eſt vulgò Caſpali dicta, natura & arte munita adeo, vt expugnari haud poſſe videatur. Sita eſt enim ad mare, in ſcopulo alto inacceſſibiliq; circaque eam magnæ profundæque valles ſunt, tantumq; vnam habet portam, quę ſemper à militibus cuſtoditur, qui omnes arcem intrantes, arma deponere iubent. Gubernatoris arcis domus ſpectat mare, ſuntque in quodam conclavi depicti omnes Gubernatores, qui Reipub. Venetæ nomine, ab anno 1502. Arci præfuerunt. Oppidum arci adiacens, ſatis amplum eſt, ſitum in cliuo ſcopuli, nec ad id ſemita eſt præter vnam, quæ duro marmori inciſa eſt. In hac inſula multi ſunt aſini ſilueſtres, in quorum capitibus lapides reperiuntur, malo caduco & laterum dolori medentes, facilemq́ue partum mulieribus conciliantes. Videtur adhuc rudera templi in monte, duæque altæ columnæ Ionicæ, præterq; has 5. aliæ quadratæ, apud quas videtur forma portæ amplæ, & ſtatua mulieris, Græciæ habitum referens, magna valde: dicunt incolæ Helenæ eſſe effigiem. Infra templi rudera viſuntur veſtigia reliquæq; arcis Menelai,

nelai,muri lapidi incisi sunt,valdeque longi.Fuit in hacarce turris quadrata,ex qua,cœlo sereno non solum Sparta,sed & maior Peloponnesi pars cerni poterat.Ex hac arce descendebatur in oppidum Cytheram,quod ad orientem in decliui mõtis situm erat.Spectantur adhuc rudera murorum antiquorum,vocanturque ab insulæ incolis illa rudera Palæopolis,quod nomen Oppidum vetus significat.Infra ea rudera,vbi rivum, qui per sinũ quendam in mare fluit, transieris,in eiusdem riui ripa,in magna rupe videntur 18.aut 20.balnea parua,mirabili arte excisa,quorum pars maxima suos canales,& aquæductus habet,in quibus se lavare posset qui vellet.In vertice montis,cui D. Nicolai nomen inditum (qui valde asper , præceps ascensuque difficilis est)2.sacella sunt.Eorum maioris solum intusforisque stratum est artificiose, opere Musaico refert venationes equestres Taurorum cum Cervis,Leonibus,Vrsis,Canibus.

Cythera insula reditur ad Maleum promontorium.

Malvasia in Laconica Peloponnesi regione oppidum, olim Epidaurus dictum, adhuc satis cultum est,tutissimumque, distat Maleo promont. mill. 30

Neapolis Romanæ olim Nauplia Navale, Peloponnesi oppidum, in eiusdem regione Argia, nunc munitissimum, abest Malvasia oppido millia. 80.

C.Schili olim Scyllæum prom.in Agria Peloponnesi regione situm,post se relinquit NeapolimRomanæ mill. 60

Surium

Surium promont. olim, nunc Capo delle Colonne dictum, quod ibi adhuc conspiciantur Neptuni templi rudera, situm in Achaia, quæ nunc Livadia dicitur, dissita est à Scyllæo promont. milliar. 50

Eubœa insula, nunc Negro Ponte, post se respicit Surium promont. mill. 50

SCYROS Ptolem. nunc Sciro, insula est inter Lesbum & Eubœam. Habet in ambitu 40. stadia, sed Bordonius 8. numerat. A Delo insula distat 130. mill. à Stalimene 100. montibus plane attollitur, minusque frequenter inhabitatur, asperi eius territorij ergo. Olim in ea 4. oppida, satis inhabitata fuere, sed eorum duo, nunc fere habitatoribus carent. Hæc insula in dominio Licomedis fuit, in eaque nutritus est Achilles fœmineis vestibus indutus, gravidamque fecit Licomedis filiam Deidamiam, quæ ei peperit Pyrrhum: cautus autem Vlysses, in insulam appulsus, Achillem duxit ad bellum Troianum, in quo occisus fuit.

Scyro insula navigatur Lemnum insulam, nunc Stalimene dictam.

LEMNOS insula famosa, Vulcano olim sacra Ophiusam fuisse dictam, à serpentium multitudine quidam asserunt, qui omnes postea exacti fuere. Deinde Diospolis vocabatur, à duabus eius vrbibus, nunc vulgò Stalimene vocatur. Magis in longitudinem quam in latitudinem patet, nam ab oriente in occidentem centum mill. ampla est, totaque sinubus ac portubus patet: inæqualis est, tumulisque abundat, inter quos elegantes & bene culti agri interiacent, qui multo fertilio-

tiliores sunt,rebusque omnibus magis abundant, quam vnquam antea. Nam proferunt triticum,legumina,vinum,carnes,caseum,lanam,linum,cãnabem,& pleraque alia. Magna lignorum inopia insula laborat, præcipuè ad orientalem eius partem,quæ siccior; sed quæ occasum & merid em respicit,paulò humidior virentiorque est. Loca autem,in quibus arbores nasci queunt, humidaq; inter colles sita,fructiferas proferunt,vt ficus,iuglãdes, amygdalas& paucas oleas. Nullus in hac insula est fluvius, sed insignes habent incolæ in maris littore piscationes: namque isthic pisces satis superque abundant. Præter cætera Ostrea habent,ipsis Caideropeda dicta, hoc est Asini pes, à nostris valde differentia. Calidarum quoque aquarum scaturigo hic est,quæ tamen non adeo calidæ,vt pleræque aliæ. In hac insula invenitur celebris illa terra Lemnia,seu sigillata. Hæc aduersus pestem,venena,defluxiones cõmendatur,quæ in pastillos compacta, sigilloque, seu Turcicis characteribus signatur. Solum die sexta Augusti quibusdam cæremonijs adhibitis erui solet. Eam vt plurimum Principum legati Constantinopoli redeuntes secum deferunt,eamque muneris loco principibus viris offerunt. Olim præcipuæ insulę vrbes fuerunt duæ,quarum vna Lemnos erat, quæ etiam Myrina dicebatur: nunc parũ celebris est, (licet adhuc integra perduret) quòd minus sit habitata,quàm antea fuit. Sita est in colle mari imminenti,habetque forum,in quo solstitio, montis Athos iaculatur vmbra, tametsi ab inuicem cõputetur distantia 87. mill. licet Sol nondum occa-

sui sit vicinus. Altera vrbs est Hephestia nunc Cochino, plane deserta destructaque. Tametsi hæc insula non magnum habet ambitum, nihilominus 75. pagi in ea sunt, quorum incolæ diligentia opulentiaque præstant. In pagis, duobus aut tribus exceptis, Græce loquuntur, suntque incolæ Christiani, sed qui propugnacula inhabitant Turcæ sunt. Plinius scribit in hac insula Labyrinthũ fuisse, tertium ab Aegyptio, Cretico similem, sed huius vestigia nulla hic extare affirmat Bellonius testis oculatus.

Dardanelli distant Lemno insula Mill. *76.*

EVBOEA insula nunc Negroponte dicta, sua magnitudine, qua reliquas huius maris excellit, Regina veluti Archipelagi est augusto tantũ freto ab Atticæ littore separatur, ac longitudine sua Atticum & Bœoticum litus propemodum adæquat, qua 150. mill. capit, latitudinem ad summum 20. milliarium habet. Tota in ambitu patet 365. mill. olim Macra & Macris, Abantias, Chalcis, Chalcodontis, & Asopis Plinio teste dicebatur, ac Strabo etiam Oche & Ellopiam nominatam asserit, nunc vero Egriponto & communiter Negroponte dicitur. Turcis Egribos, vt putat Melius. Tradunt prisci, fuisse olim hanc insulam continenti Græciæ iunctam, sed terræmotu auulsam, atq; insulam factam, quod persuaderi facile potest, cum ob vicinitatem, tum quod adhuc ipsa terra motibus concutiatur, præsertim vbi Euripo vicina est, qui quidem Euripus, Liuio Euboicus sinus dicitur. Ptolem. Oetus sinus, alij fretum Eubœũ vocant, nunc Golfo de Negroponte vulgò appellatur.

latur. In hoc autem freto velocis ac varij cursus est mare, quaterque in die aut septies, vt alij dicũt reciprocatur æstus, atque adeo immodicè, vt ventis plena navigia frustretur, cuius quidem causam cum Aristoteles indagare nõ potuerit, morti hic desperatus occubuit. Insula porro hæc tritico, leguminibus, vino, oleo, ac arboribus mire abundat, præsertim ad navigiorum fabricationem, incolasque habet numerosissimos. Traditur hic pecora felle carere. Metropolis fuit vrbs Chalcis, valde famosa, ex qua olim coloniæ aliquot deductæ sunt, quæ nunc de insulæ nomine Negroponte vocantur. Sita est in plano Chalcis, vbi mare in angustias arctatur, & continenti iungitur ponte: quo in loco præter aquarum cursus, vt ait Niger, varijs invicem fluctibus, venti quoque ab vtriusque terræ prælatis montibus, subiti ac procellosi iaciuntur, quare nec die nec nocte quies navibus datur. Vrbi huic adiacens territorium, admirabile æris & ferri metallum continebat, quod tamẽ evanuit. Fuit autem hæc vrbs à Mahomete Turcarum Imp. anno 1451. ingenti apparatu expugnata & direpta Christianis fęda strage affectis. Turcis tota confestim insula cessit, vnde nunc à Græcis & Turcis mixtum habitatur. Carystus vrbs, quæ Sophiano Chironia & Aegea dicitur, nũc Carysto, marmore olim nobilis erat, nam prope eam sunt latomiæ, vnde columnæ Carystiæ excisæ sũt Isthic etiam lapidẽ Amianthũ aiunt nasci, qui lini instar in filũ reducitur, ex quo tela cõficitur, quæ vbi sordescit, in flammam proiecta mundatur, ac dealbescit. Capharæum promontoriũ altissimũ

orientem prospectans naufragijs Græcorum famosum est, quod nunc Figera Nigro dicitur, Chium autem Sophiano.

Eubœa nauigatur Scyros Ptol. nunc Sciro Sophiano.

VNIVERSVM maris fretum à Callipoli, vbi finit Propontis ad Aegeum mare vsque, Hellespontum dicitur, in quo est fretum Castellorum, quæ dicuntur Sestus & Abydus, vulgò Dardanelli, Turcis autem Bogazasser. Sestus est in Thraciæ Chersonneso, in collis cuiusdam accliui, Trifolij propemodum forma. Abydus est in minori Asia, nunc Abeo dicitur. Milesiorum fuit colonia. Hic sunt Hellesponti angustiæ septem stadiorum: vbi Xerxes ponte Europam iunxit Asiæ, qui tempestate dirutus, atque dissolutus fuit. Paludoso est in loco (vt ait Bellonius) sita, & quadrangula forma reparata, quatuor propugnaculis admodum infirmis prædita, in quatuor angulis muri quadranguli. Hæc Arx simul cum Sesti Arce opposita, vna est clavium Turcici domini: namq; ex his arcibus exploduntur tormenta bellica in naves, quæ sine licentia magni Turcæ effugere, vel in Hellespontum vi perrumpere vellent.

Callipolis nunc Calliopoli distat à Dardanellis mill. 80

PACTYCA olim dicta fuit hæc vrbs, Nigro teste. Sita est vbi finit Propontis, è regione oppidi Lampasci, quod in minori Asia est. Putant aliqui eius fundamenta ab C. Caligula iacta esse, alij autem dicunt hanc vrbem à Gallis aut Francis habi-

habitatam fuisse, ab eisque Gallipolim dictam, id est Gallorum vrbem. Foci in ea numerantur 600. sed pręcipua ædificia adeo destructa sunt, vt nihil præclari sit residuum, nisi Portus, qui securus capaxque est magnæ classis. Arx hic est, quæ fortis fuisse apparet, sed nunc destructa iacet. Præsidiarij tamen milites ibi sunt. Molendina ventis circumacta hic multa videtur. Sunt hic quoque duo Xenodochia (vulgus Amarathi dicit) vnum ad egressum vrbis, in itinere, quo Constantinopolim itur, est. Aedificari id curavit Sinanes Bassa, qui vixit tempore Mahumeti secundi Imp. Turcarũ, qui Constantinopolim expugnauit. Aliud xenodochium opus est Imp. Turcarum Baiazethi, qui hic Mausoleo admodum superbo conditus est, in hac vrbe est. Haud longe inde Turcarum Impera. Fontem perpulchrum duci curavit, aqua huius fontis bona est magnaque copia se effundit. Iuxta hæc xenodochia pulchræ Moscheæ visuntur. Hęc vrbs nullis est muris cincta, sed vndequaque patet pagi instar. In ea sunt perpulchri horti, in ijsque omnis generis arbores fructiferæ excellentesq;. Ad Propontidem turris est excelsa octolatera, hic quoque multa molẽdina, quæ ventus circumagit, sunt. Hic Turcæ Telonium solvunt duplex, tam viri quam fœminæ & pueri, vnum Piginte ipsi dicunt. Asperum vnum (Turcicæ monetæ genus est) pendit vnusquisque, inde quotannis percipit Turcarum Imp. 30. ducatorum millia, sibique adhuc bonam pecuniæ summam servant publicani. Aliud telonium, Capitanatus dicitur, pendit vnusquisque Turcarum Imp. duos Asperos, habetque

inde proventum 60000. Asperorum, incolitur vrbs à Græcis, Iudæis & Turcis, qui hic multas merces distrahunt, propterque magnum mercatorum concursum care hic viuitur.

Constantinopolis distat Calliopoli mill. 120

CONstantinopolis descriptionem vide in Delicijs Germaniæ, fol. 16. & seqq.

ITER Constantinopoli Nicomediam. Nicæam, Aucyram, Amasiam, vide in Delicijs Germaniæ, folio 20. & sequent.

ITER CONSTANTINOPOLI ASCARIAM, in Natolia, Adenam in Caramania, Alepum & Damascum in Syria, Ioppen, Ramam & Hierosolymam.

Constantinopoli, numerantur Ascaram in Natolia milliaria Italica 370. quæ efficiunt milliar. Germanica $92\frac{1}{2}$

Adena in Caramania distat Ascara milliaria Italica 290. quæ reddunt mill. German. $72\frac{1}{2}$

Alepum in Syria abest Adena mill. Ital. 240. quæ æquiparantur mill. Germ. 60.

Damascus retro se respicit Alepum mill. Ital. 240 quæ conficiunt mill German. 60.

Ioppe post se relinquit Damascum mill. Ital. 150. quæ idem sunt quod mill. German. $37\frac{1}{2}$

Rama distat Ioppe mill. Ital. 12. quæ efficiunt German. 3

Hierosolymam numerantur Rama mill. Ital.

24. quæ

quæ æquiparantur German. 6

Simul 33½

AVIGATIO CONSTANTINOpoli Tenedum, Mitylenem, Chium, Samum, Nicariã, Palmosam, Nicsiam, Murgo, Namfio, Terasiam, Milo, maris Aegei insulas, indeque Venetias.

TENEDO insula apud Hellespontum distat à continenti Asiæ, vbi Sigæum promontoriũ ll. quinque: eius ambitus decem mill. comprendiiur. Olim Colydna & Leucophoron, teste stachio vocabatur: Phœnice & Lyrnessus etiam refert Plinius: nunc verò Tenedo Sophiano tore, vocatur. Duos habet portus ad ortum, im humiles montes circumdant. In medio plaies est, deserta modò. Circa Tenedo sunt Cyinæ parvæ insulæ, nunc Maureæ dicuntur, mesœcundæ. Scribit Plinius in ea esse fontem, solstitij æstivi tempore à tertia diei hora ad tam vsque tanta aqua scaturiebat, vt omnia vicina loca inundaret, reliquo autem anni tempore exsiccabatur. Strabo templum Neptuni extra civitatis muros fuisse tradit.

LESBOS seu Mitylene insula clarissima, nunc dicta Metelino, Phrygiæ opposita est, ab eiusque continenti distat mill. septem cum dimidio. Prius Antissa, Pelasgia, Macaræa, Hemerte, Lasia, Aegyra & Aethiope alio atque alio tempore appellata fuit, teste Plinio & alijs. Octo olim vrbibus culta fuit: eiusque ambitus traditur alijs 168. mill. alijs 130. tantummodo. Protenditur in longitudinem ad mil. 70. in latitudinem ad 14. Extenditur ab ortu in occasum, secundum recentiorum obseruationes, licet Ptolem. prodiderit eam à Meridie in Boream duci. Vbertate, bonitateque fructuum atque aeris salubritate gaudet, interque reliquas Aegæi maris insulas colitur. Circa insulæ medium est fertilis planicies, in qua optimum crescit frumentum: sed tam versus Ortum quam Occasum exasperascit montibus, Cupresso, Fago, & Larice arboribus vestitis, ex quibus multa materies ad naves conficiendas colligitur. Validi & robusti hic aluntur equi, sint licet humiles: multique hic fiunt casei. Vinum profert optimum, quod quidem Constantinopoli cæteris præfertur, atq; magna ex parte heluosum est. Marmor hic etiam est, Pario marmore liuidus, Achates quoque gemma hic reperitur. Duos habet hæc insula portus satis commodos, in quibus Turca classem continuo habet. Mitylene vrbs nunc Metellino dicta, totius insulæ primaria est, in qua arx est. Ager vrbis iucundus & fertilis est. Ipsa olim insignis fuit incolis, ac ędificijs splendidis ornata, quæ nunc maiori ex parte collapsa sunt: Arx autem perdurat adhuc, estque natura ac situ egregiè munita,

est enim

est enim peninsula. Eius incolæ Turcæ sunt, sed qui rura inhabitant & vineta colunt, ferè Græci. Huic insulæ ortum suum debent Pittacus, vnus inter Græciæ sapientes numeratus, Alceus poeta, & Antimenides eius frater, vir ad arma tractanda natus. Hinc quoq; oriundi Theophrastus & Phania philosophi peripatetici, amici intimi Aristotelis, musicus quoque Arion & Terpander, cum Samo fœmina.

CHIOS insula nobilissima, inter Samum & Lesbum insulas, quam sic vocatam volunt de nomine Nymphæ, quæ ob insignem candorem Chione nuncupabatur: olim Aethalia, Aethale, Macris & Pityusa dicebatur, nunc autem vulgò Chio vel Scio, Turcicè Saches, Persice dicitur Sechex. Distat à Ionia minoris Asiæ regione freto maris, quod decem milliaria iuxta antiquos complectitur, multis scopulis referto, ac recentiores scribunt tantummodo quatuor. Eius circumnauigatio est mill. 124. vel vt alij dicunt 120. Est magis longa quam lata, longitudoque à Meridie in Septentrionem porrigitur. Tota montibus & collibus attumulatur, ad occasum præcipuè, & Septentrionem arboribus est referta, multisque torrentibus irrigua. Frugum adeo fuit copiosa, vt horreum populi Rom. dici meruerit. In duas partes esse à modernis diuisam comperitur, nempe in Superiorem, quæ Apanomera, voce Græca dicitur, ea ad occasum & Boream est: & in Inferiorem Catamerea vocatam? Apanomera montibus aspera est, & arboribus consita, vallibus vmbrosis in-

termixtis,aquisque irrigatur. In hac permulti sũt pagi,ac oppida,cum in ipsis montibus,tum etiam in vallibus. In Catamerea vero colles potius quã montes sunt,in quibus Lentisci arbores mira industria ac diligentia coluntur,è quibus Mastiche gummi colligitur, toti Europæ subministranda. Ex ea incolæ prouentum circiter 20. millium aureorum percipiunt, hodie enim sola hæc insula Mastichem mittit. Optimum vinum isthic provenit,sed præcipuum est Arvisium,Malvasia dicitur hodie,inter laudatissima à Plinio commemoratũ interque vina Græca præstantissimum. Id in Arvisio,aspero ac importuoso loco, trecentorum stadiorum nascitur. Hinc surculos translatos ferunt in Cretam insulam. Chia ficus saporis acritate antiquis commendata est, quæ seriolis seu fictilibus condebantur,& in his Romam avehebantur. Marmor Chium laudatur à Plinio,quod in Pellenæo præcelso omnium monte cæditur. Chia terra etiam famosa est,cuius vsum docet Plinius. Hãc hodie virentem esse testatur Bellonius, & ærugi-nem æris colore admodum referre , attamen veterum terram Chiam esse non putat, sed Vitruvij Theodotion. Charcedonius lapis isthic,teste Theophrasto,reperitur,sed nigrior est, ex quo fiunt vascula . Sunt in hac insula 36. circiter oppida. Vrbs Chia autem primaria est, quæ olim erat in montis vertice,sed hodie est iuxta littus,ad montis radices translata,Orienti opposita, Natoliam spectans. Optimum habet portum licet angustũ, commodum tamen Triremibus, alijsque generibus navium minorũm Lembisque: maiores verò naues

naues anchoras in Canali iaciunt, nec portum ingrediuntur. Olim nauale hic erat 80. navium, nã Chij antiquitus classem habuerunt, marisque imperium ac libertatẽ sibi vendicaverunt. Agri fertilissimi sunt, ac fructibus omnibus abundantes. Incolæ humanissimi sunt, magnaque ex parte Latino more viuunt. Genuensibus donata fuit hæc insula ab Andronico Palæologo Imp. Fœminæ suauissimis moribus & eleganti forma prẹditæ sũt, olim quoque celebratæ fuerunt pulchritudinis. Fuit autem præteritis annis Chios Turcæ tributaria, eique singulis annis duodena pendebat ducatorum millia. Eius dominium tenuit Iustiniana familia patritia Genuensis, à qua gubernata fuit ad annum vsq; 1565. quo Selymus secundus eam fraudulenter subiugauit. Fertur in Chio esse Homeri sepulcrũ, in oppido pervetusto, in monte D. Heliæ sito ád occiduam insulæ partem, sed alij id alio loco esse contendunt. Hic orti sunt Tragicus Theopompus historicus, Theocritus sophista. Aliqui dicunt Homerum hic in lucem editum. Ab occidua Chios parte est Psyra insula exigua, quæ hodiè Psara vocatur. Onagros sive asinos silvestres alit Chios, ab ijs qui in assyriæ campestribus reperiuntur diversos, alium aerem non ferentes, namque alio transvecti pereunt.

SAMOS insula, clarissima olim, inter Icariam & oram Asiæ est, à qua quinq; tantum mill. abest, prius Dryusa, Anathemusa, Melamphylas, Cyparissa & Stephane appellata fuit, Hodie etiam Samo vocatur. Iunoni quondam sacra fuit. In

ortum

ortum & occasum porrigitur 80.mill. circumnauigatione, vel vt alij tradunt 87. Omnium frugum fertilis valde est, & Olivis fœcundissima, vino autem infœlix, quod notatu dignum, cum cæteræ circumvicinæ insulæ vino abundent optimo. Olim incolis frequens fuit hospitibusque celebrata. In ea Samia vrbs floruit, quæ ad Austrum erat, cum optimo portu, ac murali. Hodie verò (vt testatum reliquit Bellonius) piratarum metu, deserta prope relicta est, vt ne pagus quidem vnicus supersit, eamque ob causam nulla pecora in ea aluntur. Hic olim Labyrinthum fuisse testantur auctores. Ex Samo olim vasa evehebantur fictilia, à loco Samia vocata, inque esculentis laudatissima fuerunt. Hinc orti sunt Pythagoras sūmus philosophus, Sibylla Samia, & Polycrates fortunatissimus Tyrannus. Insulæ pars Septentrioni & Occidenti obiecta, celsissimum præruptissimumque (vt ait Bellonius) habet montem, qui olim Cercesius dictus fuit, suntque eius scopuli pene inaccessibiles. Præaltarum arborum nemoribus abundat Samos, è quibus brevi temporis spatio, Piratæ naves sibi fabricare possunt, ad prædā in mari agendam. Ad insulæ partem Australem visuntur ingentis fereque incredibilis magnitudinis, qui ea non viderit, columnarum aliarumq; petrarum fragmenta. Existimatur hic præpotentem vrbem olim fuisse: haudque procul ab illis ruderibus spectatur templum Iunonis peramplum, in quo statua Iunonis reginæ videtur.

ICARIA

ICARIA, nunc Nicaria, exigua est insula ad occasum insulæ Sami, minimè lata est, sed in lõgitudinem protenditur. Eius circuitus est 37. circiter milliarium. Prius Doliche, Macris, & Ichthoessa vocabatur, nec non etiam Pergamum fuisse nuncupatam, antequam isthic Icarus in mari submergeretur, testatur Pausanias. Ab Icaria vicinum pelagus Icarium denominatur. Abundat hæc insula ovibus imprimis, è quarum lacte ingens caseorum quantitas conficitur, nam egregia habet pascua. Frumentum etiam copiose mittit: vinum quoque optimum & mel largitur. Portum non habet, sed commodas satis stationes, nisi à Piratis infestaretur, Nicaria longe melius coleretur. Sũt inter Icariam & Samum scopuli asperrimi, modò Fornaces vocati, olim Melanthij, qui nautis celebres ac metuendi maximè sunt, præsertim nocturno tempore. In insulæ parte orientali, ad maris littus, est altissima turris Fauci dicta, in cuius fastigio lumine nautis hic nauigantibus signum datur, vt rupes, quæ circa insulam sunt, vitent.

PATHMOS insula non magna est, quinquaginta enim mill. ambitu non excedit, adhuc sic vocatur, vt vult Niger. Sophianus & Bellonius autem asserunt eam Palmosam hodie nominari. Sita est inter Icariam & Samum, ac tota tritici ferax est, omnique leguminum genere abundat. Venæ quoque Metalli in ea sunt. Portum habet capacem satis pro Paronibus, Triremibus & nauigijs minoribus. Incolitur à Græcis Christianis, sed Magistratus & vrbium præfecti Turcæ sunt.

In hanc

In hanc insulam D. Iohannes Euangelista relegatus fuit à Domitiano, ibique Apocalypsim scripsit. Bellonius in ea esse Monasterium Caloierorū Græcorum scribit, in quo cadaueris manus ostenditur, cui vngues succrescunt, tametsi fuerint resectæ: eam D. Ioannis manum esse affirmant Græci: at contra Turcæ, esse manum alicuius ex ipsorum Prophetis, iactant.

NAXVS, nunc Nicsia Sophiano alijsque vocatur, patet in ambitu 80. mil. dicebatur olim Veneris insula, deinde Dionysia à vinearum fertilitate, vnde Baccho fuit sacra, & famosa ob vini excellentiam. Vocata etiam fuit Sicilia minor ob tritici copiam. Est pulchra aspectu, & ferax Aloes. In ea marmoris genus reperitur, quod Græcis Ophites, latinis Serpentaria dicitur, viridis coloris lividioribusq; maculis aspersum. Smirillus etiam lapis isthic inuenitur. Vespæ genus in Nicsia esse dicitur, cuius punctio mortem hominibus affert. Ruinæ hic spectantur desertæ ciuitatis: anteque eam est in rupe Arx, olim Strongoli, nunc Pergoli dicta. Apud eam amplissimum templum spectatur, quod Baccho erectum volunt, eiusque statua marmorea adfabrè facta hic spectatur. Nicsia nunc ferè deserta, habitatoribusq; vacua est: in ea multæ sunt metallorum venę, sed fossores nulli. Vbi olim pons erat, fuit templū Apollinis, circa id sunt hodiè Salinæ. Ad montium pedes fructifera est vallis: dicitur ea vulgò Darmille. Ad mare, in occidentali insulæ parte, spectari potest locus, in quo Theseus decepit Ariadnā, cuius nomen loco remansit.

Amur-

AMVRGVS, Amurgo vel Mergo etiam nunc dicta insula olim Platage, est in mari Aegæo. Montibus quamvis attollatur, arte tamen industriaque humana adeo probè exculta est, vt multæ res humanæ vitæ commodæ in ea proueniant. Tria sunt in ea Castella, vulgoque dicuntur Amurgo, Hiali & Plato. In insulæ parte Septentrionali tres visuntur portus Santa Anna, Calos & Platos. Ad Austrum sunt asperæ horrendæque rupes, quæ nautis hic nauigantibus horrorem incutiunt. Mari enim tempestatibus agitato eius vndis occultantur rupes, vt super aquas non emineant; hanc ob rem nautæ, quam maximè possunt longè ab hac insula instituunt cursum. In hac insula nati sunt Simonides & Lampus poetæ.

ANAPHE insula hodie Namfro, Namfio vel Namphio, sita in mari Aegeo, donata est à natura mirabili proprietate, quod serpentes in ea se continere haud possunt, ideoque nomine Græco Anophis dici deberet, quod insulam absque serpentibus significat: si serpens in eã defertur, statim vbi terram contigerit emoritur. Olim in insulæ parte extrema fuit arx frequenter inhabitata, ad quam pyratæ necessitate vrgente solebant confugere: sed vt tanto malo iretur obuiam, incolæ arcem funditus euerterunt, exstruxeruntq; oppidum in insulæ medio in colle eleuato. ad ortum huius insulæ est Therasia insula, quæ nunc Santorini dicitur: Insula autem Delos ei est ad Austrum.

San-

SANTORINI insula, olim Therasia, alijs Theusia & Callista dicta, id est, pulchra, formã habet Lunæ corniculatæ, licet aliam haberet antequam terræmotu concurreretur, & à mari in duas develleretur partes, inter quas scopuli aliquot interiacent. Insula fertilis est, & portubus commodis instructa. Eius incolæ piscatoribus ferè vitam traducunt. Maris fundus hic peruestigari haudpotest, maxime inter ambas insulas. Ea quę meridiem spectat, maior est, patetque in circuitu 40. milliar. In eius parte occidentali videntur vestigia famosæ civitatis, quæ nunc prorsus deserta est.

MILO insula, olim Melos dicta, & Mellida à mellis copia, est in Cretico mari. Omnium aliarum insularum rotundior est, habetque in ambitu 80. mill. Hanc è mari enatam affirmat Plinius. Feracissimos habet agros frumenti & olearum, sed vitibus parum accommodos. Plinius asserit hic effodi marmor atri coloris varijs maculis distinctum, exscinduntur hic etiam petrę molares. Ibidem etiam bitumen ac sulphur gignitur: sunt in ea etiam sulphureæ aquæ medicaminibns commodæ. Portus commodissimus est in ea parte, quæ Septentrionem spectat. In insulæ planicie est satis commoda vrsis, & ad eius partẽ occidentalem Arx dolon dicta. Scopulis parvisque insulis circumdata est Milo, quæ in medio incuruatur, portumque efficit, cuius supra facta mentio.

Milo

Milo navigatur Cytheram, vulgo Cerigo, insulam, indeq; Venetias, per insulas locaq; descripta in nauigatione Venetijs Constantinopolim, quæ hic repetere actum esset agere.

NAVIGATIO VENETIIS

Cretam, Carpathum, Rhodum, Cyprum, insulas: inde Tripolin Syriæ: deinde describitur iter Tripoli Alepum, indeque Balsoram ad sinum Persicum, vnde navigatur Armuzium insulam ad fauces sinus Persici, vnde commodè navigari potest Coam celeberrimum Emporium.

Venetijs navigatur Cytheram, quæ navigatio hic ante fusè satis declaratur, inde navigatur Cretam insulam.

CRETA, quæ nunc Candia dicitur, insula est maris Mediterranei, Cypro maior, sed Sicilia & Sardinia minor. His enim solis, in toto mediterraneo mari cedit, licet nobilitate & fertilitate omnibus par sit. Est autem media quodammodo inter Europam, Asiam, & Africam. Distat ab Alexandria Aegypti milliaribus 400. ferè, & à Meridie æque ab Africa. Ab Asia minore mill. propè centum, & à Peloponneso Græciæ totidem. Curotes olim ab habitatoribus Curetibus vocabatur, & per syncopen Creta. Alij dicunt Cretam appellari, à Creto quodam, Iouis & Ideæ nymphæ filio vt ait Stephanus: alij à Crete nympha Hesperidis filia, vt ait Blasius: alij verò à Crete Rege vetustissimo. Præterea dicta fuit olim Acria, Macaros &

Macarone,(auctoribus Plinio & Solino) id est fœlix insula, ob fructuum bonitatem & cœli temperiem. Hecatompolis dicitur Eustathio & Homero, id est centum ciuitatum: nam centum olim vrbibus habitatam fuisse omnes fere Auctores testantur, quarum quidem 40. circiter, Plinij ætas nouit. Idea quoque, & Chotina Stephanio, & Telchionia Giraldo vocatur. Nunc Candia dicitur, à candore forsan, vt quidam opinantur, siquidem huius insulæ montes occidui, albi seu candidi dicuntur, vel ab vrbe eius nominis primaria. Sita est Creta ad initium quarti climatis, sub nono Paral lelo, ac maximus dies æstatis in ea est horarũ circiter 14. cum quadrante. A Septentrione Aegeo alluitur Pelago & Cretico: ab Austro Lybico seu Afro: ad ortum vero Carpathio mari pulsatur. Forma eius oblonga est, ac ab ortu in occasum extenditur, tria formans Promontoria: vnum quidē ortum spectans Samonium dicitur, vulgò Capo Salomone, reliqua duo occasum? Austrinum contra Cyrenem vocatur Hermea, seu Hermicum, & olim Arietis fons, nunc verò Capo Grabuffe. Peloponneso obuersum Cimarus vocatur Straboni, nunc verò Capo Chestina. Habet porrò hæc insula longitudinem 270. passuum mill. auctore Plinio, in latitudinem verò 50. mill. Eius circuitus 558. passuum mill. complectitur. Verum secundũ moderniores, qui eam diligentissimè dimensi sunt, tenet in longitudine 215. mill. in latitudine 45. eius Berimeter seu ambitus est 455. mill. seu vt alij dicunt 525. Petrus Bellonius tradit in suis Obseruationibus eius ambitum quinquies centena

& vi-

viginti passuum millia continere. Exasperatur
c insula montibus Idea maximè, qui in medio
sulæ altissimus est, pedem eius oppidis coronę
star ambientibus: ex eius summo vertice, mare
cilè conspicitur, vtrumque insulæ latus allu-
is. Idea mons ex primarijs huius insulæ est iam
siloriti dicitur, reliqui verò præcipui montes
int Leuci, nunc de Marara vocati, alias à Spac-
ia appellati: & Dictæ: qui nominatur Sethia, qui
usdam locis Lasti, qui quidem montes adeo cel-
sunt, vt nix tota hyeme eos operiat, tametsi Cu-
ressi, hinc inde inter saxa conuallium nascan-
ur. Et quoniam (ait Bellonius) adeo frequentes
n ea sunt montes, rara sunt isthic campestria.
Multa itaque loca sunt inculta, quę tamen non mi
norem dominis adferunt censum, quam fertile
solum, quoniam pecudes vberes ibi inueniunt pa
stiones. Isthic magnos alunt greges Strephoceri,
Arietum & Caprarum, ex quarum caseis & lana
singulis annis magna pecuniæ vis percipitur. A-
bundat præterea insula hæc vitibus, oleis, malis
punicis, ziziphis, ficis quoque & alijs fructiferis
arboribus, inter quas vastæ magnitudinis sunt eæ
arbores, quæ ferunt Mala Aurea, Citria & Adami
poma, ex quorum fructibus succus exprimitur, e-
oque dolia implentur, quæ Constantinopolim,
& in alias prouincias Turcæ subiectas vehuntur:
siquidem eo succo plurimum vtuntur in cibo
Turcæ. Imprimis verò illud generosum vinum
sola hæc insula producit, vulgò Maluaticum seu
Pramniũ vocatũ, qđ in plurima Europę loca trã-
sportatur, præsertim vero Venetias in maxima

copia,Germaniam,Galliam & Angliam,atque lõga vectura maiorem adhuc præstantiam acquirit. Profert quoque insula hæc grana,quibus panni ru bro colore tinguntur. Granorum census est ingens,sicut & mellis,ceræ,casei, quæ omnia exteris longe meliora sunt. Ladanum profert copiose hæc insula,quod intolerabili labore ex arbuscula,Cisca nuncupata(qua huius regionis montes vestiuntur)colligitur: quod quidem ex primarijs est,nostra suffimigia sive odorum pastillos ingre dientibus.Isthic etiam nascitur medicinalis herba Dictamus vel Dictamon dicta,soli Cretæ peculiaris,& quædam alia herba Halimon vocata,quę quidem admorsa,diuturnam famem prohibet: leguntur præterea copiose in montibus innumeræ aliæ herbæ medicinales.Lupum, vulpem, nullũve aliud noxium animal Creta habet,nec serpentem, ideoque magna cum securitate animalium greges noctu in arvis pascere sinunt, præsertim Ovium & Arietum,Striphoceri ab incolis appellatorum,qui erecta cornua gestant. Piscem habet Creta in littoribus admodum frequentem, Muli barbati magnitudine,alijs regionibus valde rarũ qui Scarus nominatur,cuius veteres auctores meminerunt.Romanis olim in delicijs fuit. Primarium inter reliquos pisces locum facile obtinet. Nullum in hac insula fluuium navigabilem esse asserit Bellonius, aut qui paruam saltem nauiculam ferrè posset,inueniuntur tamen multi magni Rivi,in quibus sponte,& sine cultura crescit Colocasia.Inueniuntur in ijs quoque Cancri fluuiatiles.Horum fluentium Rivorum commoditas,a-

eris-

ſq; temperies occaſionem præbet incolis, cul-
imos inſtruendi hortos,& elegantia vineta,e-
; magna quantitate, hæc incolis magnum adfe-
nt cenſum:Labyrinthus qui nunc in Creta con-
icitur,ad radices mõtis Idę,eum non eſſe afferit
llonius,cuius veteres meminerunt,quem tamẽ
retæ incolæ adulterino Labyrinthi nomine de-
onſtrant; namq, Latomia fuit ſolidi admodum
elegantis ſaxi,è qua lapides diuerſis locis exc-
ti ſunt,cum Cortynæ & Gnoſij vrbium ædificia
xtruerentur.Incolæ olim mendaces,fraudulen-
,rapaces,avari & vinoſi fuerunt,vt auctores per
ibent,laboris impatientes,nullasq; artes exqui-
tè diſcentes,ſed vt plurimum commeſſationibꝰ
potionibus dediti, hodie naturæ impulſu (vt
ſcribit Bellonius)ab ipſa pueritia Scythico arcu
ſe exercere ſolent, veterem ſequentes conſuetu-
dinem: nam traditur incolas olim Dianæ dicatos
fuiſſe.Superant ipſos etiãTurcas Arcus iaculatio-
ne,quin etiam ſunt incolæ ſicut olim dextri, agi-
les & mirè ſtrenui in pugnis marinis, è ſuisq; na-
uiculis,quas Squiraces appellant, magno animo
hoſtibus reſiſtunt.Inſignes in hac inſula vrbes fu-
ere olim Cortina ſeu GortynaCydonia,Gnoſſus,
ſeu Gnoſum,Minois Regis ac Strabonis Geogra-
phi patria.Hodie omnes huius inſulę ciuitates in
4.tantum redactæ ſunt,quæ populo ſatis frequen-
tes,atq; ſub ſe habent territoria 4. in quas tota eſt
partita inſula,ſuntq; omnes ſitæ ad Boream in lit-
tore.Prima eſt Sittis ſeu Cytta,olim Cyteum,ver
ſus ortum expoſita,quæ puſillum nunc eſt oppidũ
populosũ tamen,& quartũ Cretæ propuguaculũ.

Secunda ciuitas Candia, olim Marium, primaria & Metropolis, munitissima est deditque vniuersæ insulæ nomen. Tertia est Rhetimum, olim Rhithymna dicta. Quarta & vltima est Canea, à parte occidentali, quæ & ipsa munita est, & amplitudine sua Candiæ successit: olim Cydon vocabatur, à qua Cotonea mala, Cydonia dicta. Sunt prætere a 15. oppida his primarijs 4. vrbibus subiecta. In Caneæ territorio sunt oppida, vulgò dicta Apocorno, Chissano, Selino, S. Nichita & S. Achaia. In hoc territorio sunt 240. quos vulgus Casales dicit, & 14. parœciæ latinæ, inter quas est D. Mariæ vbi residet Episcopus, & 33. parœciæ Græcæ. Cysamum oppidum, quod nunc Chysamo vocatur, omnino ferè dirutum est, veteres tamen eius muri adhuc permanent integri. Humili in loco situ est, non procul à littore, vbi Aegeum mare ad Septentrionem prospectat. Præfuisse huic insulæ antiquitus fertur Iupiter, vetustissimus Rex. Fuit & Gnosius cognominatus Rhadamanthus tanta integritate vir, vt ei tribunal & iudicium apud inferos prisci vates tribuerint. Cessit postmodum Creta ditioni Romanorum, deinde Impp. Constantinopo. à Balduino Comite Flandriæ & Imp. Constantinop. tradita fuit Bonifacio Marchioni Montisferrati, à quo tandem Veneti eam ingenti pecunia coemerunt anno 1194. Tempore Henrici Danduli ducis Venetorum rebellavit Creta, sed anno 1343. Veneti eam iterum suæ subiecerunt ditioni. Hanc insulam difficulter vi posse oppugnari asserit Bellonius testis oculatus, nam cum ad eam (ait ipse) nullus nisi mari aditus sit, incommodosque

que habeat portus, munitior est. Verum qui-
ı est, vrbium & castellorum muris cinctorum
olis, non deesse commodos portus, vt Caniæ,
Cādiæ, vbi commodissimi sunt, pro omnium
vium generibus, egregiè clausi & ab omnibus
ıtis tuti. Portus propè Caneam vrbem, Porto
lla Suda, vulgò dictus, omnium totius insulæ
: commodissimus. Portus quoque sunt Striæ,
oulisimeni, Chisani, Selini & Spachiæ. Rheti-
um verò paulò incommodiorem, quam Canea
ıbet portum pro nauibus & Triremibus: mi-
oribus enim solum nauibus aditus in eum pa-
:t.

CARPATHVS insula hodie Scarpantho, est inter Rhodum & Cretam, non longe à Do-ide Asiæ regione. Eius circuitus est 60. mill. vel ıt alij dicunt 70. longitudo ab ortu in occasum ex-tenditur: ab hac vicinum pelagus Carpathium de-nominatur. Ardua est sublimisque montibus, ac in ea marmoris lapidicina adinuenitur. Olim e-rant in ea 4 vrbes, ob quæ & Tetrapolis nuncupa-batur. Fuere in ea quondam 6. castella, quorum nunc tantum tria supersunt: ad ortum est Trista-num nunc Faria dictum à scopulo: ad partem oc-cidentalem est portus commodus, circaque mon-tem Gomello dictum Corez est: ad Garbinium insulæ videtur Caso insula minima, alijque ibi sunt scopuli Canes dicti: in cir-cuitu vno tantum mil-liari patet.

A RHODO insula nobilissima pulcherrimaque vicinum mare nomen sumit: Ophiusa ante, Asteria, Aethrea, Trinachia, Corymbia, Peressa, Atabyria, deinde Macaria, atq; etiam Colossa, à famosissimo illo Colosso appellata fuit. Abest ab Asiæ continenti 20. mill. ampla est mill. 140. vel 125. vt alij asserunt, è mari natam Rhodũ testantur scriptores. Olim deo Soli sacrata fuit, atq; diuitijs naualisq; rei gloria inter cæteras maris insulas principatum quondam obtinuisse legitur. Est temperatissimo ac clementissimo cęlo, vbi nunquã esse ita nubilum aerem contingit, quin Sol quaqua die aliquantisper splendeat. Ager insulæ fertilissimus: pascuis præsertim mirè lætatur: fructiferis quoque arboribus affluit, quarum multæ perpetuo virentes sunt. Insula inundationibus aliquoties fuit obnoxia. Vnicam habet vrbem munitissimam, quæ cum insula nunc, sicut olim Rhodus vocatur; ea ad ortum Solis posita est: partim iu accliui colle, partim iuxta maris littus, inque gremio portum recipit nobilissimum ac tutissimum. Vrbs muris duplicibus, altissimis Turribus 13. arcibusque quinque, ac alijs propugnaculis munita exornataq; admodum est. Ipsa Rhodus olim opportunitate situs & operum nobilitate clara erat, eiusque incolæ nauigandi solertia, ac navalibus victorijs inclyti fuerunt longe magis sub militibus D. Iohannis Baptistæ, quam hodie sub Turcarum tyrannide. D. Iohannis militibus fuit hæc vrbs, cum vniuersa insula anno 1308. concessa ab Imperatorib. Constantinopolitanis, cũ Christiani dominiũ terræ sãctę amisissent

adeo.

eoq; creuit Rhodi potentia, vt Turcis & pyra- sæpius terrori fuerit, veruntamen anno 1522. bem ipſam, fruſtra antea à Turcis petitam & ſeſſam, tandem Suleimannus per vim cepit, ac oinde totam obtinuit inſulam, migrantibus men abſq; vlla noxia militibus Rhodienſibus, ui bello cruento ſuperſtites fuerunt, in Melitam nſulam. Incolunt nunc Rhodam Turcæ ac etiam udęi permulti, qui iſthic ex Hiſpania commigraunt, ſed Chriſtiani noctu in vrbe permanere haud poſſunt, ob ſeditionis metum: interdiu tamen commorantur in ea ad libitum. Aſſerit Belonius omnia equitũ Rhodiorũ ædificia integra adhuc à Turcis cõſeruari, illęſis inſignibus, picturis, ſculpturis, ac inſcriptionibus omnibus, ſimiliterq; mœnia eodem adhuc in ſtatu permanere, quo fuerunt, quo à Turca capta fuit Rhodus. Cæterum qui pagos incolunt, maiori ex parte Chriſtiani ſunt, ij vineta, agros, ac hortos elegantiſſimos colunt, omni fructuũ genere conſitos. Fuit olim in hac inſula famoſiſſimus ac magnitudine admirandus Solis coloſſus, ex ære fabrefactus, qui inter 7. mundi admirabilia recenſetur. Eius Pollex adeo magnus erat, vt nemo brachijs eum amplexari potuerit. Coloſſi altitudo traditur à Scriptoribus 70. Cubitorum, qui terræmotu fractis genubus collapſus eſt: eum poſtea Aegyptij demoliti ſunt, eiuſque ære nongentos Camelos oneratos fuiſſe dicitur. Sunt aliæ paruæ inſulæ ac ſcopuli in Lycio ac Pamphylio mari, inter Rhodum ac Cyprum, in quibus nihil memoratu dignum.

CYPRVS insula nobilissima varias obtinuit nomẽclaturas: prius enim Crypta vel Crypton vocabatur, auctore Volaterrano, id est, subterranea, quod à maris vndis videatur abscondi. Dicta etiam fuit Cerastis, ob montes frequentes, quasi cornua quędam prætendentes. Cethin quoque vel Cethino, à primo habitatore sic vocato. Deinde Amathusia Straboni, ab vrbe eius nominis, cuius in agro æs optimũ maxima copia eruebatur. Paphia etiam à Paphio deo & antiqua vrbe Papho. Salaminia ab illustri vrbe huius nominis, quæ primas obtinebat partes, tunc, cum in nouem Regna insula tota dispartiretur. Macaria, quia beata luxuriante vbertate, ob quam rem & inibi Veneri dicatum templũ, vnde & Citherea, quod potius deæ fuerit epitheton. Adhæc Achamantis, Asperia, Collinia & Erosa, æris metallo frequenti, & collium prospectu. Cyprus deniq; vel à Cyro, qui antiquam vrbem Aphrodisium instaurauerit, vel ab arbore Cypro, huic insulæ peculiari. Pars quæ ad Ortum spectàt, distat à Syria (nunc Soria vulgò) minus centum milliar. quod est vnius noctis iter, & Plinio teste à Syriæ ipsius continenti terræmotu abscissa est. Ea pars, quæ meridiem respicit ab Aegypto, & ab Alexandria trium vel quatuor dierum velifico cursu, totidemque etiam occasum versus à Rhodo insula recedit. A Cilicia vero vel Caramania milliar. sexaginta abest. In quatuor partes diuisam hanc insulã olim fuisse apud Ptolem. cõstat, in orientalem scilicet, quæ Salaminæ tribuitur, in occidentalem, quam Paphia possidet: in Meridionalem

n, quam Amathusia cũ Olympo monte, & deque in Septentrionalem quam Lapathia occu-
t. Hodiè verò in duodecim partes, quam vulgò
ontado dicunt, partita est & sunt Nicosia, Faagusta, Paphia, Andima, Limissum, Masorum,
alines, Messaria seu Sivorum, Crosocus, Pẽtalia,
Cerines, & Carpassus. Cæterùm diuitijs insula
hæc antiquitus abundans, & mollis habita fuit,
ac delicijs luxuique plurimum dedita, ob idque
Veneri quondam dicatum aiunt. Afferunt Pomponius, Diodorus & Plinius ipsam nouem Regnis claram extitisse ac 15. vrbibus, quarum nonnullæ terræ motu ea tempestate labefactatæ fuisse dicuntur, quæ nunc maiori ex parte interiere.
Ex regalibus vrbibus præcipue fuerunt hæ. Paphus Noua in Paphia regione, quã Agapenor præfectus classis Agamemnonis regis, anctore Pausania condidit, quæ etiam hodiè cum titulo vrbis
extat, vocaturque vulgò Bapho teste Nigro. Paphos vetus, quę in eadem Paphia regione extabat
Veneri quondam dicata. Cithera quæ toti insulæ
nomen dedit, & in qua Venus orta fuit, sed hodie
non amplius extat, & in eius loco est oppidum
Conuclia ex principalioribus totius insulæ, ob
Goslypij, Sacchari & aquæ abundaitiam. Curias, quæ olim erat, vbi nunc est oppidum Piscopia vulgò dictum, ex præcipuis totius insulæ. Amathus, quæ & ipsa Veneri quondam dicata fuit,
nuncque destructa est. Præter has Ceraunia vrbs,
qua nunc Cerines dicitur, condita fuit à Cyro,
cum nouem regna insulæ subiugasset. Hæc
autem posita est à Septentrionali insulæ
parte,

parte,habetque arcem satis tutam,atque clementiore potitur aere,quam quævis alia insulæ pars. Sed Nicosia,quæ antiquitus Lettra primo,deinde Leucotum vocabatur, fuit olim Regalis sedes, quemadmodum etiam fuit præteritis proxime elápsis temporibus, antequam insula in Turcarũ ditionem deueniret,quę vrbs Archiepiscopali sede ornata fuit, & posita est in planicię Messaria nuncupata, occupante secundum longitudinem 78.milliaria,& 30.secundum latitudinem,quę satis frugifera & abundans est. A Nicosia autem 36. milliaribus abest Famagusta,olim Salamis,& deinde Constantia dicta,insignis quidẽ vrbs,& huius insulæ emporium.Sunt tamen qui putent Famagustam olim Tamassum fuisse. Alij vero vnam ex 4.vrbibus Arsinoes communi nomine vocatis: non autem fuisse Salaminam illam, quæ ab Ethnicis scriptoribus propter Iouis templum celebrata maximè fuit, qui ibidem colebatur, vnde ab ea ipsa vrbe Salaminius Iupiter vocabatur. Numerantur præter has vrbes 850.pagi, seu oppida, muris non cincta, connumeratis inter ea aliquot vrbibus destructis,quæ oppida Casales vulgo dicuntur,& complectuntur circiter 160.millia habitatorum.Ex his autem multa sunt, quæ amplitudine & populi frequentia vrbibus æquiparari possunt. Omnes autem Casales in vniuersum in tres partes distributi erant,quorum dimidia pars ad Cameram Regalem pertinebat: reliqui ad Ecclesiasticum statum partim, partim vero ad nobiles Laicos spectabant. Ex reditu Casalium ad Regiam cameram attinentium ex Sale, & ex vectiga-

ctigalibus prouentum plus minus 500. millium aureorum Reſpub. Veneta ſingulo anno recipiebat, qui in merces commutati, Venetijs poſtmodum vnum Millionem reddebant. Status Eccleſiaſticus, tam Latinus quam Græcus ex ſuis Caſalibus redditũ accipiebat 80. & plus millium aureorum. Particulares nobiles Laici, tam Veneti, quam Cyprij magnum prouentum ex ſuis Caſalibus habebant. Plures ſunt in hac inſula montes, ſed omnium altiſſimus eſt Olympus, Græcis Trohodos vocatus, qui arboribus omnis generis cõueſtitus eſt, cuius ambitus complectitur 18. Leucas ſeu 54. milliar. Singulis Leucis adſunt monaſteria Caloierorum Græcorum, ordinis D. Baſilij, & in vnoquoq; fontes aquæ viuæ ſunt, ac fructus omnis generis leguntur. Tota autem inſula olim adeo ſyluoſa fuit, teſte Erathoſtene, vt agri eius coli minimè poſſent, quorum lignorum etſi magnam partem in metallis excoquendis, ac in nauibus fabricandis coloni conſumpſiſſent, non tamen ſyluarum luxuriem evincere potuerunt. Vnde decretis ſtatuerunt, vt arbores qui vellent ac poſſent exſcinderent, & quod quiſque agri extirpatis ſyluis purgaſſet, id tanquam proprium immune poſſideret. Strabo autẽ ait Cyprum ſuo æuo nulli cedere inſulæ; nam & vini oleique feracem eſſe, & ſuo vti contentam frumento. Nunc vero miræ eſt fertilitatis, & omnium rerum ad vſum humanum copioſiſſima, namq; præter olei, frumenti, ac aliarum frugum vbertatem, gignit vinum præſtantiſſimum ac generoſum, quod inueteraſcit vſq; ad 80. annos, & vetuſtate ſua ex nigro

gro

gro dealbescit, fitque odoriferum ac suauissimũ. Ex Cypro advehitur vua illa nigra, pulchra, & magna quæ vulgò Zibibo nuncupatur, & colligi isthic solent omnia fructuum genera, quæ alibi etiam habentur, pręcipuè autem Limones, Citri & Medici, fructus aliarum regionum longè excedẽtes. Non fert tamen castaneas, sorba & cerasa. Profert quoque dactylos, siliquas, saccharum, quod ex arundinibus excoquitur, crocum, Coriandrum, summachium, lentiscum, & pręter cõmunes herbas habet peculiariter brassicam floridam, fabam Aegyptiam vel colocasiam, & alias ad comedendum præstãtes. Mel triplicis generis etiam præstat, ex Apibus scilicet quod album est, ex saccharo quod nigrum est, & vulgò dicitur Melazzo, & ex siliquis, quod etiam nigrum est. Fertilis insuper est rerum medicinaliũ insigniũ vt terebinthi, colocynthidis, Reubarbari, scammoneæ, & huiusmodi, necnon herbæ Sodæ, ex cuius cinere sapo conficitur. Abundat etiam mineris auri, chrysocollæ, calcãthi, aluminis, marcasitæ albæ & rubræ, aurichalci & ferri, sed æræ præ cæteris diues est. Profert etiam lapides preciosos nonnullos, vt Smaragdum, Adamantem, Chrystallum, Corallum rubeum, & album, atq; etiam Amianthum lapidem, ex quo telis confectis, non solum non comburitur, imo potius per ignem deputatur & dealbescit. Coloni præcipuum faciunt quæstum ex Gossypio & lana, quæ copiosissimè colligunt, qui etiam è caprarum pilis pannos illos vndulatos, & non vndulatos cõficiunt, qui vulgò Cambellotti dicũtur, & per

totam

nEuropam distrahuntur. Ex lacu etiam magno
n longe à mari, ambitus 12. milliarium, in quē
dicus amnis cadit ex Olympo monte, qui lo-
s ad mare Salinæ modo vocatur, copiose sal
lligunt, dum ipse lacus in salem congelatur,
quo plures atque magnæ naues quotannis o-
rantur. Huius insulæ olea & vnguenta in deli-
js, ceram & arundinem in medicinis valde cō-
endat Plinius. Cæterū insula magno æstui sub-
cet, propterea quod sita est sub latitudine gra-
um circiter 35. vnde Sol paruo interuallo à
rtice recedit, circa æstiuum Tropicum. In vico
men Cerines spirat Boreas æstum refrigerans,
in montibus aer est acutissimus. Ingratum et-
m ac insalubrem vt plurimum habet aerem, ob
agna vaporem malum exhalantia. Nulla habet
umina, sed torrentes potius, vnde quando ij ex-
ccantur, incolæ egestatem summā aquæ patiun-
ur. Refertur ante Constantini Magni tempora,
nsulam ipsam 36. annis continuis ab incolis de-
titutam fuisse, qui aliò confugerunt, quia nun-
quam isthic per id temporis spatium pluit. Vni-
cum tantum habet portum prope Famagustam
vrbem, tametsi permultos alios olim habuerit,
qui nunc ob maris impetum repleti sunt. Olim
homines viri pariter ac mulieres hic Veneri nu-
di sacrificabant, verū D. Barnabę Apostoli Cyprij
precibus, destructum fuit Veneris templum, ac
ita mos ille obsoleuit. Scribit Trogus Cyprios
olim virgines suas prius nautis in littore prosti-
tuere solitos, quo dotem lucrari possent, ante-
quam nuberent. Incolæ totius insulę diuersarum
nationum sunt, eorum tamen plerique Græci,

quorum maior pars illuc ex finitimis regionibus tempore Constantini Magni commigrauit. Patritij autem ac nobiles Cyprij maiori ex parte ex Gallia oriundi sunt, qui quidẽ post amissam Terram sanctam, simul cum Rege Guido Lusignano in hanc insulam sese receperunt, quod fuit circa annum Domini 1193. Verum postquam regnũ hoc in ditionem Reipub. Venetæ cessisset, non solum patritij Veneti, qui illic habitabant, habebantur pro nobilibus Cyprijs, sed ciues etiam Veneti, qui 5. annis Nicosiæ commorati fuissent, ex concessione Reipub. fiebant nobiles Cyprij. Cæterũ incolæ vniuersæ insulæ qui extra vrbes habitant, quinque diuersarum conditionum sunt, nempe Parici, Leffteri, Perpiarij, Albanenses, & Veneti albi. Inter hos Paricorum, id est, obligatorum, conditio miserrima erat, quippe qui non minus quam mancipia tractabantur; hi namque singulis annis vectigal quoddam suis dominis persoluebant, & alijs oneribus grauabantur, nam singulis hebdomadis duobus diebus operas dominis gratuitas locabant, quibus tertiam quoque partem omnium terræ fructuum singulis annis soluebãt, qui domini omnem in eos potestatem & omne dominium habebãt, vt eos tum carcere, tum exilio mulctare, fustibus cędere, torquere, denique eos omni alia præterquam capitis ac sanguinis pœna afficere possent: hoc enim iuris solus ipse Rex obtinebat. Quinetiam eos venũdare permutareque ijs licebat: contraque his à dominis libertatem redimere 60. circiter aureis facultas erat, remanentibus tamen eorum agris paricis, id

est,

obligatis suis dominis eadem conditione sic-
orius. Leffteri dicuntur, quasi liberi, & quidem
us erant parici, antequam liberati essent, & in
liguntur etiam eorum filij esse liberi, illis ta-
en exceptis, quos genuerunt antequam libera-
itur. Hi namque intelliguntur parici. Leffteri
t quintam vel sextam fructuum partem, quos ex
ris suis colligunt, domino persolvunt. Cautum
rò lege est, ne Leffteri cum paricis matrimo-
o coniungantur, quia omnes filij, qui ex eis na-
intur, parici habentur. Perpiarij sunt, quidam
Paricis, qui tempore Ducum Cypri libertatē
tinuerunt, vna cum eorum filijs ac descenden-
ius; hac tamen pactione, vt singulis annis per-
luant quindecim Perpiros, pro singulo, qui Per
us genus nummi est Constantinop. sed tamen
rum agri permanserunt parici, id est, subditi si-
rprius. Albanenses sunt quidam populi dispen
arij, qui isthic ex Albania conducti sunt olim,
insulæ custodiam, & hi quidem filios procrea-
nt continuo, qui similiter vt milites stipendia
igebant, vsque ad captam à Turca insulam. Ve-
ti denique Albi dicuntur quidam coloni, qui
beri sunt tam ipsi quam ipsorum filij, persoluē-
s tantummodo Regibus vel Reipublic. Venetæ
iandam exiguam pecuniæ portionem. Romanis
iu paruit hæc insula: diuiso autem imperio, Cō-
antinopolitani Impp. eam tenuere, sub quibus
ducibus regebatur annis circiter octingentis.
ostea reges habuit ex familia Lusignana in Gal-
a. Postremo sub ditionem Venetæ Reipub. per-
enit anno Dom. 1473. sub qua vsque ad annum

1570. permansit, quo à Selimo Turcarum Imp. occupata est.

Ex Cypro navigatur Tripolim Syriæ ciuitatem.

TRIPOLIS Syriæ est ciuitas insigneq; Emporium, peciturque quotidiana navigatione Venetorum, Anglorum, Gallorum, nam hic magna nauigia onerantur & exonerantur, mercesq; inde Aleppum terrestri itinere deferuntur, & Aleppo vice versa Tripolim. Habent hic Veneti, Galli & Angli suos Consules sicut & Aleppi, multisq; fruuntur immunitatibus à Turcarum Imp. impetratis.

ALEPPVM, vulgò Alepo, distat trium dierũ itinere à Tripoli. Metropolis est Aleppum Syriæ Comagenæ, tertium ea locum obtinet inter ciuitates Turcicas. Ad fluuium Singam sita est, canalemque habet seu aquæductum, quo multi fontes, in publicum & priuatum ciuium vsum in ciuitatem ducuntur. Quatuor in ea sunt colles, eorum vni insistit arx perampla. Nulla in hac ciuitate præclara sunt ædificia, præter Moscheas aut templa Mahumetanorum, & domum publicam mercatorum, eorum commercijs destinatam: ea ex lapidibus constat, & in eius medio horti visuntur. Abundat Comagena frumento, vino optimo, herbis & fructibus, sed omnia Aleppi magno venduntur pretio, propter emptorum frequentiam: credi facile haud posset, quanta sit ibi mercium copia. Ex lixiuio quod in eius fit vicinia, percipiuntur quotannis ducenta ducatorum millia, sed sericum maximo in pretio est, multiq; commercij

Causa

ausa quare hic tanta sit mercatorum frequentia
t, quod mari Mediterraneo Euphratiq; vicinum
t Aleppum, ab illo enim non amplius triū dierū
inere distat, ab hoc vero adhuc minus. Frequen-
a eius incolarum inde colligi potest, quod anno
Christo servatore nato 1585. in ea, eiusq; subur-
ijs triū mensium spatio, mortem obierint homi
um 120. millia. Singulis annis duæ velut congre-
ationes, Caffiles vel Carovanæ dicuntur vulgò,
errestri itinere hinc pergunt Balsoram ad sinum
Persicum, inde nauigant Armuzium. Mercatores
empus profectionis Carovanæ norunt nempe A-
prili & Septembri. Capitaneus quidam ab Imp.
Turcarum designatur, cum aliquot centū Giani-
zaris, qui Carovanam Balsoram deducat Aleppo.
Ibi tum camelorum, Dromedariorum & Equorū
magna copia paratis ad iter hominibus (ij subin-
de 6000. aut 5000. numerantur) ordine iter agunt
in copiarum morem. Bini Camelo insident, hinc
inde dependentibus sarcinis sedula Gianizarorū
cura, contra Arabum insultus, qui prædationibus
dediti, magnas viatoribus molestias ingerunt.
Quadraginta dierum transitu desertum continu-
atur, suntque spacijs singulis trium quatuorve
dierum effossi putei ad aquationem, hominum &
bestiarum, multi quoque annonæ curatores tur-
mas istas sequuntur illi omnia ad victum necessa-
ria pecunia vendunt. Singulis noctibus cuncti
sub Tentorijs quiescunt, arcta tamen vigilia. Ita
Balsoram venitur. Prætergressi Babylonem,
nunc Bagadet, aliaque famosa loca, Balsoræ
per aliquot dies quiescunt, eademque in vrbe

reditus tempore turmatim coeunt ac Alepum re petunt. Hinc illa iſtis in regionibus frequenti mercatorum & mercium magna viatorum omn umque nationum commoditate. Hiſpanis tamen Luſitanis, alijſque Hiſpaniarum Regi ſubiectis, e commercij facultas denegatur, niſi quod ſubind Gallorum, Venetorum, Anglorum titulo tranſe ant.

BALSORA ciuitas celebratur confluenti fluminum Euphratis & Tigridis in ſinum Per ſicum, inde navigatur Armuzium.

ARMVSIVM inſula eſt & regnum Luſita niæ Regi tributarium. Regi Armuzij, qui Mahumeti viuit inſtitutis, hic domiciliũ eſt, extra Luſitanorum vrbem. More recepto atroci novus Rex, initio imperij ſui, fratribus & cæteris regiæ ſtirpis maſculis oculos eruit, excœcatoſque demum laute habet. Lege enim cautum eſt ſempiterna, ne cœcus Rex Armuzij ſit, ita civilis belli timor, cognatorum cœcitate tollitur. Inſula magnitudine 3. milliarium eſt, rupibus & petris aſpera, ac prorſus infœcunda, nulla ibi herba virens, nec aqua potabilis, ſale vbique rupes horrent, inde muri ædium ſalſis ex lapidibus ſtructi ſunt. Nullos fert fructus inſula, ſed omnem commeatum ex Arabia, Perſia, ciuitate Balſora accipit: propter ſitum autem & opportunitatem loci omnium rerum abundantia floret, ingentiq; mercatorum frequentia colitur. Habet enim forum ſeu ſtapelam Perſiæ, Arabiæ, Turciæ, Indiæ omniumque vicinarum regionum. Præcipua autem

mul-

titudo est Persarum, Armeniorum, Asiatico-
i, ac Venetorum, quibus circum Gemmas ma-
um studium est. Armuzium Gemmæ ex India
eruntur. Armuzio autem Venetias terrestri i-
re. Armuzium ex Persia, Coracone & Diu ve-
itur Aulæa præstantissima, quæ Alcatife vo-
tur: ex Turcia diuersi generis Camelina: ex A-
ia herbæ & aromata, in medicinæ vsum; San-
s nempe draconis, Manna, Mirrha, Thus: æqui
estantissimi ex Barem; orientales illustresque
rgaritæ ex Mascatta, (portus is est, inter pro-
ntoria Risalgate & Moncadon, ad Arabiæ lit-
) vuæ passæ quoque, Dactyli varij generis &
rmellade, quæ ex Armuzio in Indiam portan-
, totamque eam implent. Ex Larinis, pecuniæ
ta specie, Armuzij magnus est quæstus, & com-
rcium. Forma pecuniæ oblonga est, in duos ve
ramos desinens, ad speciem fili argentei, no-
a certis literis siue signis. In Persia in monetam
ligitur, ex argento excocto tanta copia, vt ma-
gnis negociationibus sufficiat, ob quæstum
certissimum, circa Indiæ loca in
quibus magni valo-
ris est.

ITER AVGVSTA VINDElicorum Patauium, quousque numerantur Tridento mill. Italica 80. inde Ferrariam, 47. Ravennam, 55. Arminum, 35. Pisaurum, 26. Fanum, 5. Seno galliam, 15. Anconam, 15. Spoletum, 78. Interammiam, 16. Narniam, 7. Ocricolum, 8. Romam, o. Simul mill. Italica 427. quibus addenda sunt 46. mill. Germanica, quæ numerantur Augusta Tridentum: distat itaque Roma Augusta mill. Italicis 427. & mil. German. 46.

Lanego	8	*Borgo*	8	*Grigno*	12
Primolan	12	*Bassano*	16	*Citadella*	8
o. *Padua*					16

(Cuius descriptionē vide in Delicijs Italiæ. f. 86)

Simul 80.

PATAVIVM antiquissima civitas est, conditam ab Antenore, Troia (quam Græci exciderant) profugo, multi scriptores perhibent, tum maximè LIVIUS initio suarum historiarum. Nobilissimam hanc esse civitatem indicat Strabo. Maximè amica coniunctaque populo RO. fuit, cum eius imperij maiestas vigebat: quamobrem enatis olim inter ciues discordijs Senatus Rom. alterum ex Consulibus M. Aemilium huc ire, pacis cō stituendæ causa iussit, & compositis ab eo dissensionibus, quæ iamiam ad bellum & cædes erant erupturæ, Romani exinde Patavinos perpetuo habuere coniunctissimos, eorumque tum militaribus, tum pecuniarijs subsidijs in tempore sunt adiuti. Patavium quoque deductam, sed non ea, qua

cæte-

eræ deductæ sunt conditione, Patavinis enim suffragiorumquoque datum, tanquam ciuibus manis Asconius Pedianus apud Ciceronem ibit. Sic itaque Patavium in amicitia fidæque minis Romani stetit, quamdiu maiestas eius perij stetit, & donec vrbs ab Hunnorum Rege tila vastaretur, à quo capta, direpta, & occisis tibus incensa fuit, instaurata deinceps à Narse Iustiniani Imp. Legato & Ravennatibus est, cẽ imo anno postquam ab Attila subuersa fuerat, rum à Longobardis cremata fuit. Hac specie tavium aliquandiu iacuit, donec paulatim ad a redeuntibus colonis instaurari ceptum est Lõ bardis autem à Carolo Magno debellatis, ma ma sub Italiæ regibus à Carolo institutis: item b Imperatoribus ex Caroli stirpe ortis, præte a quoque sub Berengarijs, Rodulpho Burgundo ugone Arelatense, Lothario ac Adelberto, in ementa & auctionis & potentiæ cepit, In Venerum tandem deuenit imperium, qui eam adeo uris, turribus, molibusq; muniuerunt, vt expunari nulla vi posse videatur, mododefensores, & es ad tutelam opportunæ nõ desint: itaque iam ab filiæ fœlicissimo vmbraculo tranquillæ quiscit mater, quoniam originem ab hac illa, tanuam à matre filia traxit, coloniaque Patavinorũ Venetiæ fuerunt. Vrbs est Patavium admodũ lauta, tripliciq; muro septa, quo etiam profundissimæ cinguntur fossæ nauigabiles: quippe quia Meduacum huc, tám munitionis vrbis causa, quã nauigãdi opportunitate, maximo ingenio Carrariẽses reguli pertraxere. Sũptuosissimis etiã ædificijs

abundat, inter quas arx, vt priſcis temporibus mu nitiſſima, item Prætorium, omnia Carrarienſium opera, cum multis pontibus lapideis, quibus fluminum, in vrbe tranſitus paſſim coniungitur, vt Blondus refert. Eſt etiam ſummum templum, ꝙ veteri memoria peringenti exiſtimatione fuit, item auguſtiſſimum nunc D. Antonij Vlyſipponenſis Hiſpani, ex ordine fratrum minorum, cuius hic oſſa monumento ex marmore ſplendido, ſita ſunt. Aedem hanc civitas, cum libertate ſub Rom. Imperij nomine frueretur, condidit, prætereaque varijs temporibus 40. Plebanicas, cum quatuor cœnobijs mendicorum. Eſt quoque ſumptuoſiſſimum D. Iuſtinę monaſterium, cuius ſpatium M. P. in ambitu foſſa complectitur, quã diſcurrunt aquæ. Curia quoque maior, Prætoris domicilium ampliſſimum cernitur, quã Henricus Imp. 1. ſtruxit: crematam vero Veneti longe ſplendidiore forma, qua nunc eſt refecerunt, in eaque ſublimi loco T. Liuij Rom. Hiſtoriæ patris oſſa poſuere. Multa præter hæc paſſim inſignia magnificaque ſunt per vrbem ædificia. Fora quoque habet admodum ſpacioſa, quorum vnum deambulationi & congreſſibus nobilitatis dicatum: alterum Olitorum: tertium Frumentarium: quartum Lignarium: poſtremum palearium eſt. Collegia ſunt hic aliquot, inopiæ ſtudioſorum iuvenum ſubleuandæ condita: quoniam omniũ diſciplinarum Gymnaſium Patavini habent, à Friderico ſecundo, in Bononienſium contumeliam, quod illi fœdere contra ſe Pont. Rom. coniuncti eſſent, inſtitutum Vrbs Patavium rebus ad vſum vitæ neceſſarijs ac

vtili-

ilibus imprimis est affluens, cœlo quoque salu-
errimo. Coloni ingenijs summis sunt, & ad lite-
is omniaque virtutis studia prompti, item lauti,
olitisque moribus, habitu optimo corporis, &
n omnibus actionibus ciuilitate præstantes. Or-
i hinc inclyti viri quam plurimi, quorum è nu-
nero veteris memoriæ gloria T. Livius historico
um princeps fuit. ager est Patavinus amœnissi-
mus, & frumenti, vini, reliquarumq; frugum ma-
ximè fertilis. Tanta vbertate triticum fundit, vt
summam omnino habeat admirationem, panisq;
conficitur in ea totius Italiæ candidissimus, vino
quoque abundat generoso, quod Plinius inter no
bilia celebrat optimum, in intimo sinu maris A-
driatici nasci scribitur, id enim agri Patavini est,
qua sinum Adriaticum nunc Venetum contingit.
Nitet vndique regio hæc peramœna nobilisque
pagis, vicis & villis ornatissimis, quæ ferè Patri-
tiorum Venetorum sunt, qui mensibus æstiuis ru-
ri plerumque cum familijs agunt. Habet etiam
Patavinus ager colles & montes, qui ad Apenni-
num non pertinent, nec item ad Alpes, qua condi
tione nullus ager alius est Italiæ totius. Montes
hos, vites, Oleæ, reliquorumque generum arbo-
res fructiferæ vestiunt, ex quibus vina pernobi-
lia, simulque suavissimum Oleum percipitur. Iu-
xta sunt colles Euganei poetis celebratissimi, qui
hos Euganeæ gentis primas fuisse sedes fingunt.
Sunt hoc collino situ vici villæque ornatissimæ
magna frequentia, nominatimque pagus celeber-
rimus, Arquatus cognomento, ad alterius arquati
in Polinicio Rhodigino differentiam Montanus,

Francisci Petrarchæ memoria inclytus, qui hic diu habitauit,& vitam quoque posuit. Deinde vicus est Euganeus,prope quem aquæ calidæ perpetuos vapores & fumos exæstuantes, nunc Aponi Balnea vocatur,à vico qui iuxta est Apono. Virentes his aquis calidis innasci herbas etiam Plinius scripsit. In finibus monasterij D. Mariæ montis Ottonij cœnum calidum inuenitur, ad multos morbos salutare, quod vndique scaturientes aquæ calidæ efficiunt. Iuxta est cœnobium amplissimum Pralia, Benedictinorum sodalium domus, imprimis sumptuosum ædificium, nobilissimisq; totius Italiæ conferendum.

Inde Conselve	10	Anguillata	8
Rovigo	7	o. Argna	6
Casa salvatica	3	Racan	3
Francolin	5	o. Ferrara	5

Eius descriptio exstat ibidem fol. 80

Simul 47.

Banagnadi	16	Cassandoli	4
Argenta	3	Fossa di Ziliolo	3
Luco	12	Baguacauallo	5
o. Ravenna			12

(quæ in Delicijs Italiæ fol. 93. describitur)

Simul 55

Savio	10	Cervia	5
Cesenatico	5	Belacra	5
o. Rimini			10

(Exstat ibidem fol. 60)

Simul 35

Cato-

tolica			16
Pefaro			10
no			5
Senegallia			15
imefino	5	o. Ancona	10
Ofsma	10	Macerata	8
llentino	10	Valciniara	6
lverma	4	Mucca	4
Saravalle	8	Varchiano	10
mera	6	Paffo di Spoleto	4
Spoleto			8
			Simul 78.
trettura	8	o. Terni	8
			Simul 16
Narni			7
Occricoli			8
Borgetto	5	o. Ciuita Caftellana	4
iano	9	Caftel novo	6
ma porta	8	o. Roma	7
			Simul 40.

ALIVD

ALIVD ITER AVGVSTA

Vindelicorum,Romam, per Tridentum, quo vſque numerantur in itinere præcedenti mill. Germanica 46. Veronam, quæ diſtat Tridento mill. Italicis 44. Mentuam, quæ abeſt Verona mill. Ital.21. Bononiam 76. Florentiam 52. Senas triginta ſex. Aquapendentemquadraginta ſeptem. VVlſinam octo, Montem Phaliſcorum ſex, Viterbum octo, Roncillionum decem. Romam viginti ſeptem, indeq́ue Terracinam 58. Fundos decem. Itrũ quinque. Formias quinque. Capuam triginta, Averſam octo. Neapolim octo, indeq́ue Salernum 24: Ebolum 18. Coſentiam 113. Rhegium 81. Meſſaniam 12. inde autem navigatur Panhormum, indeq́ue Melitam inſulam equitum Io hannitarum ſede claram illuſtremq́ue.

Tridento Veronam, &c. numerantur mill. Italica, vt ſupra dictum.

Rouero				*12*
Albo,	o. *Al Borgetto*			*10*
Volagne	10.	o.	*Verona*	*12*
				Simul 44.

Villa franca	*6*
Malvezino	*5*
Mantua	*10*
	Simul 21.

S.Benedetto	*10*	*Al Po hoſteria*	*12*
o. *Concordia*	*9.*	*S.Martino*	*9*

Bon-

nporto	8	*La Crocetta*	9
vino	10	o. *Bononia*	9
			Simul 76.

S.Raphael	2	*Pianora*	8
nergnam	3.	*Lagarde*	1
conello	1	*Lorano*	2
arcalasino	4	*Pietra mala*	6
giogo	1	*Firenzuola*	3
Poste	4	*Scarparia*	5
Pont	3	*Taillefer*	2
le	2	*Lucelsatoio*	2
Lastro	3	o. *Fiorenza*	2
			Simul 52

Cassan	8	*Tavernelle*	8
gibonzi	6	*Stagia*	4
Siena			10
			Simul 36

.Angelo	5	*Monterone*	1
ignano	2	*Ponte de rena*	2
conuento	4	*Torraniere*	3
Quirico	5	*Scala*	5
rzo	3	*Lorza*	8
lia	2	*Ponte centeno*	8
lquapendente			4
			Simul 47.

orenzo	5	*Bolsena*	3
			Simul 8

Arlena

Arlena fluuius	3	o. *Montefiascone*	3
			Simul 6.
Viterbo			8
Lago di Viterbo	5	*Lago di Vico*	4
o. *Ronciglione*			1
			Simul 10.
Monte Rosi	7	*Bacchano*	8
Isola	6	o. *Roma*	6
			Simul 27.
Torre à meza via d Albano			8
Marino	6	o. *Belletri*	8
Cisterna	6	*Arx Sermoneta*	5
Aqua puza	1	*Segio*	5
Case nove	2	*Abadia*	8
o. *Terracina*			9
			Simul 58
Fundi			10
Itrum			5
Mola			5
Gariglano	8	*Caschano*	7
Torre di Francolisso	6	o. *Capua*	8
			Simul 30.
Aversa			8
Napoli			8
Bortici	4	*Torre del Greco*	4
Barbazona	7	o *Salerne*	9
			Simul 24.

Taver-

Taverna pinta	10	*Evoli*	8.
			Simul 18
La Duchessa	9	*Cilento*	10
Sala	7	*Casal novo*	9
Lago negro	7	*Ioia*	12
Castelluccio	9	*Valle S. Martino*	6
Castro Villaro	9	*Esaro*	7
Alto monte	8	*S. Marco*	15
o. *Cosenza*			5
			Simul 113

Chamasedo	7	*Martarano*	9
S. Biasio	6	*Aqua della ficha*	7
M. Lione	9	*S. Pietro*	8
Rosa	7	*S. Anna*	9
Fonego	9	*Finmara di Mori aut Rhegium*	10
			Simul 81

Hic transmittitur fretum, quo Sicilia ab Italia separatur, nauigaturq; Messanam Rhegio distantem *mill. 12*

MESSANA præclara ac vetusta Siciliæ ciuitas ob incuruatam loci flexionem, quæ falcis repræsentat figuram, prius Zancle vocata fuit. Siculi enim falcem atq; res curvas, Zanclam vocabant. Hodie satis prospera satisq; pollens, ad maris littus, librata planicie venuste extenditur versus orientem, ab occasu autem collibus munitur. Tritici messem non habet, quia montibus & pelago clauditur, nemoribus abundat. Tota prope eius messis, in mororum folijs consistit, pro-

batis-

batissima enim à Messaneis lana serica in multas Europæ partes mittitur. Aquæductus antiquissimi pars, ante ædem D. Francisci apparet. Fons etiam perennis atque saluberrimæ aquæ, iuxta portam, quem Leonis puteum ipsi vocant: ac etiam in signis pila, quo potum equos agunt, omnibus quæ in toto fere orbe pulchrior. Effigies lapideæ duæ Scipionis & Annibalis, antiquitate fere corrosę, in maioris templi porta visuntur. Aedes sanctæ Mariæ proximis annis pulcherrimis columnis celebrique pavimento exstructa est. Florentissima vniuersitas illustriorem Messanam reddit, quam Raphael Volaterranus magnā Siciliæ scholam vocat

Messana navigatur Panormum.

PANORMVS, vulgò Palermo feracissimæ Siciliæ vrbs, Metropolitica dignitate illustris, situ fœcundo excellit pelagoque Tyrrheno abluitur, muris septa perquam altis, quod opus est Friderici regis, quibus cæmentitij aggeres latis fossis cincti, augmento ac civium securitati additi sunt. Secundum mare arx ést, quam castrum ad mare nominant. In Turri quam Pisanam vocant, facellum est marmoreum pulcherrimum, eius parietes ex Porphyrite Parioque marmore, vermiculatis ad hominum & animalium effigies crustis punctisque aureis vestiti, pavimentumque stratum. Ibi subterraneus carcer, in quem primariæ nonnullæ mulieres anno 1242. mense Martio, quod plurimi reguli Siciliæ tumultum fecerant, coniectæ à Friderico Imp. nunquam deinde viuæ

visæ

visæ sunt, ex antiquo prouerbio Donne, quæ malè petierunt dictæ: post ducentos autem & nonaginta quinque annos, quum locum fabricādi gratia homines foderent, tria earum cadauera, nulla putredine vitiata, integris cum vestibus, sericisque Calanticis inventa sunt. Templum est ingens Panhormi cuius exteriores parietes multo pulcherrimi: in eo 4. ex Porphyrio marmore sepulchra, in quibus Siciliæ reges conditos aiunt. Eorū medium tenet marmoreum quoddam, in quo Cōstantia regina condita: ibidem Sacellum divæ Christinę parietibus marmoreis atque auratis laquearijs exstructum: statutis cautum est, ne privatus quispiam in eo sepeliatur: Regibus duntaxat & Episcopis id cōcessum. Prope templum est hospitale celebre, non multum ante patrum nostrorum memoriam ædificatum. Ab altera parte est locus, Toccum dictus, vbi aut veteri consuetudine, aut regia gratia aureas coronas reges accipere consuevere. Celebre nomen Panhormus consecuta est, quod cum superbum, insolens ac libidinosum Gallorum præsidium à Siculis in vniuersa insula deleretur, eius cædis, ac proinde prouerbij, quo vesperæ Siculæ commemorantur, occasio fuerit.

Panormo navigatur Melitam, distatq; à Pachyno Siciliæ promontorio P. mill. 100

MELITA, vulgò Malta p. m. 60. ambitur, tota fermè plana est, sed saxosa & ventis exposita. Plures eosque tutissimos habet portus: qua Aquilonem spectat insula, omnino aquarum indiga est, qua vero occidenti obuersa, aquis irrigua &

gua & domesticarum arborum ferax est: & tota frumenti, lini, leuconij, cumini fœcunditate celebris. In hac insula, duo veteris superstitionis erant templa Iunoni & Herculi dicata: Iunonis templum apud promontorium ad orientem, non longe ab vrbe situm erat: in eo Trophæa fuere plurima, miræque magnitudinis dentes eburnei, quos Massinissa, inde a suæ classis præfecto sublatos, religione ductus, quinqueremi reportandos curauit. Huius templi inter Arcem & suburbium, ex quadratis lapidibus ingentes supersunt reliquiæ. Numismata ęnea, affabrè quidem facta, hic passim reperiuntur, ex vna parte literis græcis *Meliteon* insculptæ remi latitudine: in altera Iunonis effigies exprimitur. Alterum Herculi dicatum Meridiem spectabat, quæ insulæ pars, nunc patria lingua Portus Euri vocatur: templi adhuc monumēta admiratione dignissima supersunt. Melita principio rerum Bacto regi, opibus & hospitij fœdere cum Didone celebri, atque exinde Carthaginensibus paruit, cuius rei testes sunt lapideæ columnæ plures, passim in insula obvię vetustis Carthaginensium characteribus, ab Hebræis non dissimilibus insculptæ, eodem quo & Sicilia tempore ad Romanos defecit, ijsdemque, quo Sicilia prętoribus & iure vsa fuit, cumque eadem redacta est in potestatem Saracenorum, sed vna cum Gaulo à Rogerio Normanno Siciliæ Comite, anno salutis 1090. recepta: paruitque deinde Christianis principibus. Equites Iohannitæ, Rhodo à Turcis pulsi, hic sedem fixere anno 1523. tenuereque primum suburbium maritimum, vbi Arx erat ve-

tus

tus, & portus præcellens, ac mox arcem inexpugnabilem, & oppidum illi coniunctum muro amplissimo & propugnaculis munitissimum, & nobili incolatu frequentissimum reddidere. Anno 1550. Turcica classis arcem Melitæ frustra tentavit Anno 1565. Suleimanni classis arcem S. Elmi expugnavit, sed cum auxiliares copiæ è Sicilia advenissent, discessit, insulam ferro ac igne devastatā relinquens, domos conquassatas, oppidi mœnia solo æquata: ictuum muralium tormentorum 78. millia, quibus concussa erant insulæ loca, numerantur. In obsidione & prœlijs ad 5. millia ex Christianis desiderata fama est, inter quos equites 240. milites ad 3060. reliqui bello inutilis multitudo. Ex Turcis ceciderunt ad 23000. militum, & inter hos præstantissimi, quos habebat Suleimannus.

ITER AVGVSTA VINDELICORVM, Campidoniam, quousque numerantur mill. German. 10½. inde Churiam 14. inde Clavennam 11. inde Geram 4. simul mill. German. 39½. hinc numerantur mill. Italica suntque Comum vsque 24. inde Mediolanum 24. Certosam 16. Ticinum 4. Vogeram 11. Derthonam 10. Genuam 48.

Gegging	½	*Inning*	½
Pobingen	1	*VVaring*	
Attingen		*Mittelsteten*	
Menchingen		*Hildensingen*	2
Ertingen	½	*Turckhaim*	½

Wotershoven	1	*Grossrieden*	
Baiersvveil		*Eckenthal*	1
Holtzscheiten	½	*Obern Guntzburg*	
Immenthal	½	*Holdersried*	½
Haldenvvang	½	*Leubers*	½
o. Kempten			½
			Simul 10½

Lantrach	2½	*Marstetten*	½
o. Krainburg	½	*o. Bregentz*	2
Neuburg	2	*o. Feldkirch*	1
Trÿs	1	*Baltzers*	2
Auff der Steg		*o. Meienfeld*	½
Zisers	1	*o. Chur*	1
			Simul 14.

Lentz	3	*Zur Muhl*	2
Casetsch	3	o. Clauen	3
			Simul 11.
Gera			4

Hucusque sunt mill. Helvetica, nempe à Curia 15. sequentia vero sunt mill. Italica.

o. Como			24
Barlaßina	8	*Milano*	16
			Simul 24
o. Binasco	10	*Certosa*	6
			Simul 16.
o. Pavia			4
Al Po	3	*Pancarana*	6
o. Vogera	2		*Simul* 11
Pontecuron	5	*o. Tortona*	5
			Simul 10.

Betto.

Bettola	8	*Seravalle*	3
Arqua	4	*Isola*	5
Borgo di fornari	6	*Ponte decimo*	7
o. *Genoa*			15
			Simul 48

ITER AVGVSTA VINDELICORVM, Nouaram, Vercellas, Taurinum, Niceam & Algeriam.

Mediolanum vſque numerantur in præcedēti itinere, mill. Germanica 30½. & Italica 48.

La roſa	12	*Buſalora*	7
o. *Novara*			16
			Simul 35

NOVARA ciuitas Inſubriæ teſte M. Catone Portio, ab Herculis Aegyptij nomine Lydia, & cognomine Aria, Aegyptio vocabulo Leonina, ſed à Liguribus inſtaurata Novaria dicta, agro partim fertili, partim montoſo & ſterili, primum fuit ſub ditione Turrianorum, deinde vicecomitum, poſtea Sfortiarum, nunc Regis Hiſpaniarum.

Borgetto	12	o. *Vercelli*	3
			Simul 15

VERCELLI ciuitas antiqua Epiſcopalis ad fluvium Sentiam vel Sceſiam ſita, perhoneſta nobiliſque eſt, ac rebus omnibus ad vſum hominum vtilibus affluens, vberrimo agro, & frumenti, vini, cæterarumque frugum maximè fertili. Cum prius rudium ſeculorum more, non ſatis luculenter eſſet ædificata, ſuperioribus annis in

meliorem est redacta formam, nuncque ornata splendidaque satis apparet. Bis quotannis nundinarum conuentibus frequentatur, varijsque ex partibus huc mercatores negotiandi causa, maximè verò re pecuaria lanariaque huc confluunt. Diu quondam miserè ciuium intestinis contentionib. afflicta fuit, partibus diuisa, videlicet Aduocatorum & Titionum, quæ sæpenumero inter se dimicantes, ciuitatem in summas calamitates adduxere, sicut scribit Merula: tandempue principatum rapuerunt Aduocati, circa annum à C.N. vt Corius autor est, M. CCCX. Dein in ditione Marchionum Montisferrati nominatim Bonifacij 3. fuit, ac item Vicecomitum Mediolani regulorum, ab Matthæo, vsque ad Philippum ducem, à quo Amadeo 1. Sabaudiæ duci cum Maria filia, dotis nomine tradita est, anno M.CCCCXXIX. deinceps que apud Sabaudiæ duces stetit.

Galasso	4	S. Ianuario	7
o. Chivas	10	o. Turino	15
			Simul 36.

TAVRINVM, vulgò Turino vrbs nobilis ad montium radices posita forma quadrata, cũ portis quatuor: incolis diuitibus & ædificijs splẽdidis ornata, inter quæ summum templum Ioannis Baptistæ & Palatium ducis, cum Bibliotheca. Gymnasium habet omnium disciplinarum, mirificeque rebus omnibus abundat. Ager enim eius perbonus ac fertilis, maximè vero versus Orientem & Austrum, vallesque ferri copia fœcundæ sunt. Taurinum Longobardicorum ducum sedes fuit, paruitque his vsque ad captum bello Caroli Magni

Magni Desiderium, dein aut in Regum Italię, Imperatorum Rom. Montisferrati Marchionum & Sabaudiæ regulorum ditione fuit vsque ad annũ M.D.xxxvi. quo à Francisco 1. Franciæ Rege subactum, ab eoque & Henrico rege filio successoreque deinceps possessum, donec hic Emanueli Philiberto, sororem Margaritam in vxorem dans, oppidum totamque prouinciam à parente occupatam reddidit.

Lalogia	3	o. Carignano	2
o. Cremagnola	3	o. Arconisi	3
o Sauigliano	3	Fossano	6
C. de Stura	3	o. Cuni	3
Limio	6	Vernante	2
Bolena	4	Saurges	7
Breil	4	Lespel	3
Sarenne	2	o. Nisa	1

mil. Ital. 55.

NICEA quondam à Massiliensibus condita vt scribunt Plinius & Ptolemæus, dorso Apennini innitens, partim in iuga, partim in planiciem porrecta est. Hac tempestate Nicæa munitissimam & inuictam habet Arcem in colle. Venit huc Anno post C. N. 1538. Paulus tertius Pontif. Rom. pacis inter Imp. Carolum quintum, & Franciscum primum Galliæ Regem, conciliandæ gratia, qui tum hic congressi, nouennales inducias pepigere.

Hinc navigatur Algeriam.

ALGERIA vulgo Algier, celeberrimi nominis Saracenorum in Africa vrbs, conditores habuit Afros, qui ex familia Mesgana originẽ

traxerant, quare & apud antiquos Melgana fuit appellata. Spaciosissima est ciuitas, muris elegantissimis atque munitissimis cincta. Aedificia hic visuntur artificiosa atque sumptuosissima. Hospitiorum, Balneorum, atque templorum mira est elegantia; inter cætera, templum visitur ornatissimum atque amplissimum in maris littore: in quo etiam amœnissimum est deambulacrum ciuitatis superinstructum muro, qui maris fluctibus alluitur. Innumeri in suburbio reperiuntur horti, omnium fructuum generibus abundantes. Partẽ ciuitatis orientalem præterfluit flumen, quod Molas frequentissimas agit, ex hoc etiam aquam potationi atque rei culinariæ aptissimam hauriunt incolæ. Elegantes circa ciuitatem sunt planicies, quarum præcipuam Metegia vocant: patet in longum 45. in latum vero 30. fere milliaria, estque omnis generis frugibus feracissima. Imp. Caroli V. classis, extremam calamitatem est perpessa in huius ciuitatis Portu Anno 1531. mensis Octobris die vigesimo octauo: dum enim Imperator classem feliciter ad Algeriam perduxisset, & ad eam obsidendam se parat, horrenda ac sævissima tempestas naves collidens, multas attriuit, plurimas absorbit. Inusitata tantæ tempestatis, qua triduo iactati fuerant, violentia. & inopinata clade, cum fractos militum animos Imp. videret, ipse vnus, leni blandoque sermone, territas ipsorum mentes confirmans, rebus omnibus infectis, reliquam classem Bugiam traduxit.

NAVI

NAVIGATIO ALGIERA TVnetum, Aphrodisium, Alexandriam, Rosettam & Cairum.

TVNETVM vulgo Tunes vrbs Africæ vetustissima, principio oppidulum fuit, ab Afris Lacum exstructum, qui à mari Mediterraneo circiter 12. distabat milliaria. Deleta à Romanis Carthagine cum ædificijs, tum incolis mirum in modum augeri cœpit, & tum Arbu, Zachariæ regis Tunetensis filius, Marocci regis iugo excusso, regiam Tuneti aulam instituere cœpit, quo regnante adeo Tunetensis excreuit vrbs, vt totius Africæ opulentissima fuerit appellata: ornatissima est atque incolis frequentissima. Infinitus propemodum hic est Telæ Textorum numerus: Tela autem subtilissima est, eaque per vniuersam Africam distrahitur, maximoque venditur. Fœminis hic mirus nendi modus, sedent enim eminentiori loco, aut in superiori domus parte, Fusumque aut per fenestram, aut per foramen tabulati, in subiectam dimittunt contignationem, redditque Fusi pondus filum maximè æquale atque politum. Est in hac vrbe amplissimum templum. Sacerdotum numero atque annuis prouentibus opulentissimum, anno 1537. Imp. Carolus quintus cum classe instructissima Tunetum nauigans, Guletam arcem munitissimam expugnauit captoque per deditionem Tuneto, id Muleassi Hazenio Regi (quem Barbarossa expulerat) reddidit, eumque in regnum restituit, Guletam tantum arcem, præsidio imposito sibi retinens. Cum autem Turcarũ

Imp. Solimanus Tunetum sibi subiecisset, Ioãnes Austriacus ex sociali cum Venetis bello, & nauali cum Turcis pugna ad Echinadas victor rediens, Tunetum expugnavit, castroque munivit quod Turcæ Anno Christi 1574. expugnarunt. Hinc nauigatur Aphrodisium.

APHRODISIVM oppidum maritimum Africæ quod vulgò Aphricam, Mauri Mahadiam appellant, in ea Africæ parte est, quæ in Tunetense regnum abijt. Qua à Terra aditus est, directa fronte inter Septentriones & Austrum, ad ducentos Passus patet, reliqua Mare alluit. Ea pars, qua aditus est, duplici muro, & altissima Fossa inter vtrumque perducta, & turribus munita difficilem habet expugnationem. Hinc Aphrodisium paulatim latius fit, mareq; ab vtroque latere velut in Sinum, ad easque turres admittit, quæ occasum Solis spectant. Deinde latius factam, rursus ad orientem Solem contrahitur, in tenuem Cuspidem desinens, linguæ speciem refert. A Mari, quãquam simplici muro, nec ea crassitudine qua continenti cingitur, tamen propius accedere per difficile est, propter Vada & Breuia. Murus & crassitudine quã habet & turrium multitudine, & quod frequentissimis Fibulis reuinctus destinetur, præcipue à terra, firmissimus est: nam qui interior est, in latitudinem pedum 15. qui vero pro Fossa est, 5. patet. Qua ad oppidum est ingressus, altissimis turribus, operis varietate & firmitate est admirabilis, tot sunt in eo inextricabiles Anfractus, tot Gyri, tot arcuati flexus, suis quis-

quisque æratis Postibus vtrinque muniti. Post quod Testudo fornicato opere, lõga Pedes 70. ingredientes excepit, adeo angusta & obscura, vt hominum mentes animosque perturbet, & quasi cum aliquo numine terreat; speciemq; potius Auerni specus, quam ingressus ad oppidum præ se ferat. Fuit hoc oppidum sub imperio Tunetensium, donec pulso Huzanio Chelenio qui Ariadenum Aenobarbum summa necessitudine attingebat, quique proditione quorundam ipsum occuparat, sese in libertatem vindicauit, quam viribus & multitudine hominum diu retinere potuisset, nisi eam dragutes Turca Pirata insignis, Oppidanorum aliquot perfidia adiutus eripuisset Hic à Meninge illa Lotophagotum, quam Gelves hodie vocant, soluens, Aphrodisium venit, præmissis eo consilio pedestribus Turcarum copijs, vt simulatque ipse à mari oppidum se velle adoriri simularet, concurrentibus eo Oppidanis, illi statim à terra ex insidijs irrumperent, ipsumque caperent, nec fortuna comprobato hominis consilio, euentui defuit. Capto Aphrodisio Dragutes se Dynastam appellari iubet: Africæ Mauritaniæque oram occupare, imperium protendere, ex Neapoli Siciliaque prædas agere, animum intendit: crevissetque præter modum viribus, nisi eodem Anno quo oppidum cæperat, qui fuit quinquagentesimus quinquagesimus supra millesimum, ab Hispanis fuisset repressus.

Hinc navigatur in Aegyptum.

Aegyp-

AEGYPTVM à Aegypto Beli Assyriorum regis filio ac Danaes fratre, nomen sortitũ tradunt nonnulli, Incolæ eius terræ, eam etiamnum Chibith appellant, vocabulo, quo Aegypt exprimere velle videntur. Verum Hebræi ac Arabes, cum terram, tum incolas eius Mesraim vocabulo denotant, ab Mesraim filio Chus, filij Cham. Clarissima hæc regio, ab Occidente Barcæ, Lybiç Numidiæque desertis clauditur: ab Oriente vna cum Africæ termino orientali, Mari rubro, ac deserto de Sues: à Septentrione Mari mediterraneo: à meridie agro Bugiensi & Nilo terminatur iuxta Rif regnum. Eius fines collati cum reliquis Africæ partibus exigui sunt: in longum tamen plus quam in latum extenditur, eoque saltem loco culta habitataque, quo Nilus à sterilissimis vtrinque desertis, inter montes distans, angustæ latitudinis spacium complectitur; tametsi aliquatenus se extendat versus Mediterraneum. Vniuersa hæc Prouincia plana est, omnique Granorum ac Leguminum genere fertilissima, nec non pascuis letissima. Floruit olim (teste Diodoro Siculo) Ciuitatibus, Oppidis, vrbibusque insignibus vltra 1800. Ptolemæi Lagi tempore amplius 3000. annumeratæ sunt. Vniuersi populi numerum fuisse antiquitus tradunt septies decies, centena millia. Ea causa extitit, cur tradantur priores Reges Aegypti, magnis mirandisque operibus à semultitudine hominum exstructis, immortalis gloriæ suæ munimenta reliquisse. In hac regione Labyrinthus extitit, ex quatuor, qui in Orbe reperiuntur, artificiosissimus & sumptuosissimus, Psammetichi opus,

chi opus, domos mille & regias 12. Perpetuo parietis ambitu amplexus. Marmore extructus ac tectus, vnum in se descensum habens, intus, pene innumerabiles vias, multis ambagibus huc atque illuc remeantibus, sed continuo anfractu, & sepe reuocatis Porticibus ancipites, quibus subinde alium, super alium orbem agentibus, & subinde tantum redeunte flexu, quantum processerat, magno & inextricabili errore, perplexus est. Præter hunc, alia quoque haud procul à Muridis Lacu, magnifica structura, vbi sepultura Imandis cuiusdam dicitur. Nulla est natio quæ magis antiquitatis vestigia retineat, quam Aegyptiorum: nam etiamnum illi, in vrbibus visuntur similibus vestibus vti, quales descripserunt veteres. Per vniuersam Aegyptum pulli gallinacei, à matre excludi haud solent: sed Fornaces artificiosè, exstructæ spectantur, in quibus 3. aut 4. Ovorum millia reponuntur, quarum calorem, ita temperare norūt, vt omnia simul Ova excludantur. Cum Aegypti regio Hieme tepida & palustris fit, plurimas aquaticas aues alit, quæ eo commeant tanta copia, vt Agri & Prata eis albescant, præsertim autem Ciconijs, quas Aegyptij non abs re, magni faciunt, cum Ranæ, tanta abundantia istic generentur vt nisi Ciconiæ eas vorarent, nihil illis esset frequentius: tum etiam quod Serpentes capiant, & integros devorent. Fieri nequit vt peritiores reperiantur natatores quam Aegyptij, eosque tales esse cogit necessitas: nam inundationis tempore, subinde ex vno Pago, in alium tranare necesse est, ad sua expediéda negocia, eamque ob causam ve-

stes

stes ad natationem aptas gestant, promissam videlicet Interulam albam, leuiter elaboratam; deinde Chlamydis genus inconsutile laneum, vilis cuiusdam Tapetis instar, qua humeros & corporis aliquam partem obvolvunt: neque alias vestes gestāt peregre profecturi. Aegyptij vt securi sint ab inundationibus Nili, pagorum ædificia, sublimioribus locis substruere coguntur, quorum maxima conspicitur quantitas, etenim plana est regio, & ædificia ex tenaci pinguiq; Limo constructa, tectoque operta acuminato, Alveariorum instar, procul admodum apparent: nonnulla etiam tegunt plana forma, Propugnaculi instar, quod vulgare est, per vniuersum Turcæ dominium & Græciam. Tanta apud illos est Lignorum & Lapidum penuria, vt illorum ædificia humiles duntaxat sint Casæ: etenim ampliores non sunt, quam pusilla Tecta, recipiendis Anseribus idonea. Eam videlicet ob causam, magna ex parte, cubant, bibunt & edunt sub Arboribus, vel vt vitent Insecta, vel vt frigidiorem auram excipiant, etenim Hieme istic non pluit. Erronum illorum, qui vulgo Aegyptij appellantur in Aegypto magnæ Turmæ inveniuntur, quoniam autem ex VValachia aut Bulgaria oriundi: Christiani sunt, atque plurimas linguas callent. Istorum vxoribus, priuilegio à Turcis impetrato, sese prostituere publicè licet, cum Christianis tum Turcis, ædesque habent in Pera, multis cubiculis instructas, quo quilibet libere ingredi potest, sine vllo Turcici magistratus metu, vbi continuo duodenæ ad minimum mulieres versantur. Hi Errones per Græciam,

am, Aegyptum, & reliquum Turcarum dominiũ Ferrariam artem exercent, atque inter ipsos excellentes inueniuntur in ea Artifices. Ipsimet suos Carbones excoquunt, atque ij, qui ex Ericæ stipitibus & radicibus parantur, ad eiusmodi opera omnium aptissimi censentur. Ferrum enim indurare putantur. Aegyptij raro cibum sumunt, quin addatur radicis genus Colocasia nuncupatum, quam cum carnibus decoquere solent. Aegypti animantia ob Pabuli abundantiam, stirpium à Nilo rigatarum probum alimentum, atque aeris temperiem, in magnam molem evadunt, vti Bubali, Boves, Cameli, Equi, Asini, Arietes & Capræ. arietes autem, qui admodum pingues & crassi sunt, amplam, densam, atque ad Terram vsque dependentem Caudam habent, & Palearia insuper è Collo dependentia, vt Boves, nigraque vellera gestant.

ALEXANDRIA arenoso solo sita est, in Promontorio: ab vna enim parte alluitur mari Mediterraneo, ab altera, Mareoti Lacu amplo & in longum extenso. Perstant adhuc mœnia quæ Alexander Macedo exstrui iussit: at vrbs interior, ex veterum ædificiorum ruinis magna ex parte constat. Diruta fuit ea vrbs, quando Galliæ & Cypri reges, Sultanum ex ea expulerunt. Is enim illam minimè posse retinere animaduertens, prius diruit, quam in hostium potestatem veniret Postea paulatim ædes exstrui cœperunt pro incolarum ratione, sed & nunc, nisi Christiani mercatores suos istic Institores alerent

ob mer-

ob mercium permutationem, admodum celebris non esset. In eam invehitur omnis generis commeatus cum ex Aegypto, tum ex Cypro, alijsque vicinis locis: Sapida admodum istic est caro veruecina & hœdina, cum vitulina, tum Bubula. Magna istic est abundantia generis cuiusdam Caprarum, quæ Gazellæ vocantur, veteres Græci Oryges nuncupabant, quas in agris Sclopetis petunt: turmatim enim incedere solent. Piscibus Alexandria abundat, nempe Cantharis, Lupis, Vmbris, Sinondontibus, Mugilibus, Raijs, Squatinis, Caniculis. sed & multi alij cum saliti tum recentes ex Nilo inuehuntur. Istic nascuntur Punica mala, Musæ, Limones, Auræa Citriaque mala, Ficus, Sycomori, Cerasa, & pleraque alia fructuum genera: Abundat etiam omnis generis Leguminibus (è quibus magnus quæstus fit) atque omni frugum genere, veluti Oryza, Hordeo, Farre, alias Spelta nuncupato. Hic est animal veteribus Hyæna nuncupatum, nunc autem Civetta: compacto vt Taxus est corpore, at maior: cum alium preter muliebrem naturam habeat meatum, ex quo Ciuetta emanat: plurimi Hyenæ historiam legentes, existimarunt illum esse Taxum. Extra vrbem, in exiguo Promontorio, octaua milliaris ab vrbe est Pompeij columna, immensæ altitudinis, & crassitie; reliquas quas vidit Bellonius, superans. Columnæ Agrippæ, quæ in Pantheo Romano sunt, nihil ad eius crassitiem accedunt. Vniuersa eius materies, cum Epystilij, tum Formæ cubicæ, ex Thebaido marmore est, ex eodem videlicet, ex quo omnes Obelisci ex Aegypto delati, constant. Eam

Cæsa-

Cæsaris iussu, ob victoriam adversus Pompeium partam, istic erectam aiunt. Adeo crassa est hæc Columna vt impossibile iudicetur, nunc Artificem reperiri posse, qui vllis Instrumentis eam alio transferre queat. Inter singularia quæ Alexandriæ visuntur, bini sunt Obelisci, quæ apud eius vrbis Palatium sunt: alter e rectus & integer, alter humi procumbens & confractus. Qui rectus perstat, altero longe maior est, cuius crassities comparari posset, cum eo qui Romæ est ad D. Petri. Sta tui posset Obeliscos olim excisos fuisse, vt Tumulis, quibus in Aegypto corpora condita reposita erant, imponerentur, minime autem, vt Templis dicati essent. Plurimi videntes solidum Lapidem, tam ingentem, tam longum & crassum, adeoque expolitum, fusilem esse credunt, sed hallucinantur, nam eius varietas & granorum distinctio ex Rupis natura, quæ eius coloris est, procedit. Tanto magis admirandi Obelisci videntur, quod ex solido lapide constent; quemadmodum si quis imaginetur, se quadrangulam turrem intueri, ex vnico lapide exstructam. Omnes qui nunc sunt Romæ Obelisci, iam in Aegypto sculpti fuere, antequam Romulus vnquam pedem Romæ figeret. Rupes siue Latomia, vnde excisi sunt, adeo solida est, nec vllis venis distincta, vt exscindere istic liceret solidam turrim, & vnico lapide constantē, crassiorem atque altiorem, quam binæ illæ sunt turres, ad D. Virginis Phanum Lutetiæ, si humana industria moueri posset: nam montem integrum duorum vel trium Milliarium longitudine, solido eoque sine vllis venis distincto lapide cō-

 stantem

ſtantem, videre iſtic eſt, ex quo Coloſſi vel Obeliſci exſcindi poſſent, quantę quis voluerit craſſitudinis & altitudinis. Tres Colles murorum Alexandriæ ambitu continentur, qui Scoparij ſiue Sordium montes cognominantur vt ea loca, quæ Lutetiæ Les voiries (in quæ videlicet omnes ſordes & animalium cadauera abijciuntur) nuncupantur. Elegantes Aquæductus, ingentes Ciſternę, atque Putei, qui Nili aquam excipiunt, obſeruatione profectò digni ſunt: adeo enim probè materiæ, atque tam magnifico opere exſtructi ſunt, vt adhuc integri perſiſtant: neceſſarij etiam omnino erant. Alexandriæ incolæ ſemel in anno eos implere ſolent, cum Nilus inundat, ad totius Anni vſum. Per ingentem Canalem primum vniuerſas vrbis Ciſternas replent, in quibus deputatur & limpida redditur. Tota autem vrbs ſupra eiuſmodi Ciſternas & Puteos exſtructa fuit olim, firmo Lapidum & Laterum opere, quoniam rara per Aegyptum naſcuntur ligna, præter frequentes Palmas, quæ ad ædificandum prorſus ſunt inutiles. Alexandriæ incolæ Ichneumonem, Aegypti peculiare animal alunt: cicurari enim poteſt, non ſecus atque Feles & Canes. Vulgus antiquo nomine appellare deſijt, & vernaculo ſermone Pharaonis murem nuncupant. Eius Catelli à ruſticis Alexãdriam venales inferuntur, atque ab Oppidanis auidè emuntur, vt iſtos domi alant, quoniam Mures venantur, non ſecus atque Muſtelæ, & ſerpentes inſuper inſequuntur, quibus indifferenter veſcuntur. Exiguum eſt animal & admodum mundum. Maiore eſt robuſtioreq́; corporis mole quã Felis, roſtrumque nigrum & mucronatum habet

instar viverræ, sine vllis tamen Barbæ pilis Duobus diuersis itineribus Alexandria Cairum tendi potest; altero longiore, aduerso vidz Nilo; altero terrestri breuiore. Rosettam pro fecturi, dimidio milliari ab Alexandria, in amplam planiciem arenosam perueniũt, in qua variæ stirpes nascũtur, inter quas Anthillis Græcorũ est, quã Arabes Kali appellant hanc incolæ lectam desiccant, ignis struendi causa (quoniam ligni magna istic est penuria) atq; Calcem cum ea adurentes, geminum quæstum faciunt: Calcem enim Alexandriam deportant, herbę autem cineres diligenter adseruãt quos Soldam nuncupant: Indurantur Saxi modo, eosque tanta copia colligunt, vt mercatorum naves ijs onerari possint; qui eos coementes, Venetias deinde deuehunt. Vitrorum cristallinorum fundendorum gratia. Vitrarij Veneti in Murano, eos commiscent Saxis, quæ per Ticinum amnem ex Pado aduehi iubent, quæ cum cineribus æqualiter commixta, materiam reddunt selectissimã, ad cristallina Vitra fundenda, In Gallia Narbonensi maris & stagnorum in ea accolæ, Soldanellam non vrunt, sed Anthillidem domesticam, quã ipsi Vitriariam ab effectu, & quod instar Vitri pel lucida sit, nominant, magna cura & diligentia serere solent (eius enim maior commodiorque est vsus, quam sponte nascentis) eam sub æstatis finẽ succidere solent, deinde resiccatam in Scrobes, de industria eum in vsum paratos congerere, atque ignem subijcere: huius adustæ cineres, imum petentes indurantur, atque Massam eam præbent quam Soldam appellant; non modo ad Vitra

conflanda vtilem, sed qua etiam Saponarij artifices plurimum vti solent. Binis ab Alexandria mil liaribus pastores per agros pascunt Capras, quæ aures ad terram vsque promissas habent, per extremitatem quatuor aut amplius digitis recuruas sursum. Tribus circiter milliaribus emensis, aqua dulcis & potabilis inuenitur, quæ Fontana videtur. Palmæ istic, vt & per reliquam ferè Aegyptũ, celsissimæ sunt: inter quas nonnullæ reperiuntur, quæ ex vnico Trunco, eademque origine 20. magnas arbores, ab inuicem separatas proferunt, Secundum littus maris Mediterranei iter faciendo, ad vnum exprimarijs Nili riuis peruenitur, qui aliquando iuxta littus maris vado transiri potest. Hic Nili rivus, ostium Canopicum non est. Inde digressus viator, per arenosa loca iter facit, in quibus nullæ arbores crescunt, præter Myricas, quæ in ingentem magnitudinem attollũtur, Gallasque ferunt, quas Arabes Chermasel proprio nomine appellant: Hæ olim admodum in medico vsu fuerunt, & non penitendum mercimonium. Diu littus marinum sequutus viator, planiciem arenæ mobilis ingreditur, quæ adeo sterilis est vt nihil in illa nascatur. Inde est Rosetta.

ROSETTAM Mauritani Raschit nominant. Sita est ad littus circa magnũ quoddam Nili ostium per quod onerariæ naves, ad eius vsque ædificia appellere possunt. Eius incolæ diligenter colunt hortos, in quibus Musæ arbores nascuntur, Papyri planta, Sacchari arundines, Colocasia, Sycomori. Chameleones frequenter reperiun-

periuntur in Fruticibus, qui Rhamnus altera dicuntur: in varios colores sese commutant; magna ex parte, ex viridi pallent, interdum ex ceruleo virescunt. Inde fit, vt non facile obseruari queant: nam Ramo insidentes simili virore prædito, etiam à diligenter requirentibus, vix inueniri queunt; vescuntur Muscis, Erucis, Scarabeis & Locustis Serpentum more, omnisque generis parua insecta deuorant, quæ in eorum ventriculis inueniuntur, dum illorum Anatomia fit. Verum quidem est, eos integro Anno, sine esca perdurare posse; quod creditu difficile haud est: nam varij generis serpentes, per decem mensium spacium viuere, nullo administrato illis cibo, obseruatum est; interdum tamen nonnihil aquæ dandum, quam bibant. Elegans est oppidum Rosetta, nullis tamen mœnibus cinctum. Veneti istic Consulem alunt, quem alio nomine Bailum appellant; qui res ad mercaturam pertinentes curat. Nullum est adeo exiguum oppidum, per vniuersum Turcæ dominium vbi Veneti quempiam non alant, qui eos de advectis mercibus sive in amnium & maris Portus, siue in Continẽtem aduectis admoneat, quod magnæ illis cedit vtilitati, quoniam ex omnibus Orbis partibus noua intelligunt, atque mercium in remotissimis etiam regionibus precia: vnde fit vt reliquas Respublicas, in mercium negocio superent. Quod si quaspiam merces in aliquo Portu aduectas intelligant, per suos illas occupant, vt primi quæstum habeant. Rosettæ vicina est parva Arx non procul à Nilo, qua Alexandriam iter est, distatque Rosetta vix binis milliaribus

bus ab ostio quo se Nilus in mare exonerat. Arabicus istic sermo in vsu est,quemadmodum per vniuersam Aegyptum.Plurimi istic viuunt Iudæi, qui per vniuersum Turcæ dominium adeo multiplicati sunt,vt nullum oppidum sit aut Pagus, in quo non inueniantur frequentes, callentque varias linguas.Palmarum siluæ Rosettam inumbrāt eiusque ædificiorum structura similis est ijs, quæ in Cairo sunt, ad quam rem maximè accommoda sunt ligna, quæ nauibus Constantinopoli inuehuntur:qui enim inde Constantinopolim nauigant,semper inueniunt,quo naues onerent: nā potius quam inanes redeant,naves lignis onerāt ad ædificia exstruenda.Plurimi Rosettæ sunt, qui ex quæstu è Piscium in Nilo captura,vitam sustētant, Cairum Rosetta aduerso Nilo navigantes compendium non quærunt, multos enim habet Nilus Meandros qui vero terra iter instituunt,veniunt in pagum Anguidie,deinde in alium maiorem Mahatelinue nuncupatum,postea inDibi:inde porrò in oppidulum dimidij diei itinere à Rosetta distans Natubes appellatum.

NATVBES oppidulum vtramque Nili ripā occupat:Eius alveus istic maior non est,quā Rhodanus Lugduni: post Natubes est pagus Elminie. Agri istic ab inuicem separantur sepibus ex Rhamno plurimis locis Oryza,Papyro & Musis conseruntur,interdum etiam Colocasia. Inde venitur in amplum pagum Berimbal,deindeque est Fova oppidum.

FOVA

FOVA ampla olim fuit vrbs: hodie nullum est in Continenti Aegypti oppidum, excepto Cairo amplius, quam Fova, multo enim maior est Rosetta, atque è regione magnam Insulam habet, Sacchari Arundinibus, Sycomoris, Palmis, Colocasijs, omnisque generis leguminibus excultam, atque Oryza, quæ præ reliquis magni est census per vniuersam Aegyptum. Post Fova est caput Alvei, quem Alexander fodi curavit, vt aquam in Alexandriam deduceret, implendis vrbis Cisternis Puteis & Siphonibus: Terra quæ exempta fuit, adhuc superest, vtrinque proiecta, secundum canalis ripas, cuius caput à magno pago Sindou quadrante milliaris distat. Quatuor sub Cairo milliaribus, Nili Alveus in binos Ramos sese dividit; quorum alter ad sinistram tendens Rosettam, delabitur, ibi est Ostium Canopicum: alter ad dextram profluens, apud Damiatam se exonerat, vbi est Ostium Pelusiacum. Post Fova est Boulac.

BOVLAC magnus est pagus territorij Cairini, in Nili ripa situs. Huc omnia in Nilo commeantia navigia appellere solent, vt merces quas Cairum conuehunt, exonerent. Post Boulac dimidio duntaxat milliari est Cairum, in quo vnicuique licet, quocumque dici tempore intra vrbem vel foris deambulare, nec obstat aliquis, nec damnum metuendum est. Imo asseri potest, quod si quis peregrinus ob longa veste amictus, per omnes Turcarum Imperatorij subiectas vrbes, ire vellet, neminem ei magis nociturum quam in quâ lino.

CAIRVM, vrbs triangulari est forma: nam Arx quæ in colle sita, supremam vrbis partẽ occupat, vnum angulum constituit: qui Arcæ egressus secundum mœnia, ad Meridiem descenderet, in alterum vrbis angulum perueniret. Inde autem versus Septentriones progressus, in alium, qui tertius est angulum pertingeret, inde porro ad Arcem conscendens, vrbis circuitum, absolveret in o Græci formam. Totidem fere sunt extra murorum ambitum ædificia, quot in ipso ambitu Arx in solida Rupæ constructa est, in qua gradus excisi sunt, vt facilior sit in eam ascensus, estque orbiculari fere figura: multasque crassas, rotundas habet operis antiqui Turres, quæ tamen imbecilles sunt: quoniam vero in sublime est, quadrãgula est facta Cochlea versus hortum, gradibus instructa, per quam Equi, Cameli, atque Asini onusti facile subire possunt. Arcis area magna est & laxa. Iucunda istic & sana est habitatio, nam ex fenestris vndiquaque, quantum oculorum acies ferre potest, circumspiciendo, vniuersa ferè Aegypti regio apparet, nonminus, quam si quis in summo Pyramidis alicuius fastigio esset. Cairi incolæ Solis ardoribus admodum vexati, ad arborum perpetuo virentium vmbram confugere coguntur, eamque ob causam, multis vrbis locis, & per compita, & publica Fora, Sycomoros alunt, Nihil in Cairo magis æstimatione dignum ipso Basestan, hoc est, loco muris cincto, in quo ARGENTARIA aureaque opera, tum ex fericeis staminibus contexta, & nonnulla rariora exoticaque AROMATA venduntur. Si quid

quid enim elegantis & rari in tota vrbe est, istic requirendum. Vetus Cairi vrbs paulo supra sita est, quæ priscis Babylon dicta fuit, hic multorum vetustorum ædificiorum ex Latere & Calce constructorum Rudera videntur, quæ splendida fuisse apparet: nūc exiguus istic est pagus, quē Christiani, Armeni & Græci incolunt. Elegans hic est & satis splendidè structum Sacellum à christiano quodam medico D. Virgini consecratum. Fornix est in eodem Templo subterranea, in qua ipsa cū infante Christo latuisse fertur, cum ob Herodes tyrannidem ex Iudęa profugisset. Paulo supra Cairum reperitur ingens Aquæductus, plųs quā trecentis fornicibus constans, ad Nili aquam in Cairi arcem devehendam: quibusdam enim Machinis, hoc est, magnis Rotis, Boum labore in orbem versatis, aqua è Nilo hauritur atque injicitur. In pago qui à Cairo longius haud abest, quā tendit à Lutetia sunt Balsami frutices in magno quodam horto, sed angusto loco, muris concluso, quos extructos fuisse aiunt, postquam Turca Aegyptum Sultano ademit: Bacha autem à Turcarū Imperatore huic regioni præfectus, ea arbusta digna existimavit, quæ peculiari loco concluderentur. Cum Bellonius illic esset, nouem aut decem duntaxat frutices eius aderant, quæ nullum liquorem præbebant: stipitem habebant pedis lōgitudine & pollicari crassitie, tenuibus ramulis præditum, qui raris folijs obsiti sunt. Paulo supra Materam Obeliscus vnus ingens erectus est, in agro quodam, longe maior & crassior ijs, qui Alexandriæ sunt, aut eo qui Constantinopo-

 li in

li in Hippodromo conspicitur. In alio Horto, vno milliari à Cairo distante, amplum est & laxum Atrium à Circassis extructum, cum Sultanus Aegypto dominaretur. Hæc structura, amplus & capax est locus, magnis lapidibus quadris stratus, tectusque ad Solem arcẽdum, tectum sustinentibus Pilis. Pyramides procul admodum à mari absunt, sed à Nilo duntaxat tertio lapidis iactu; videntur montes esse immẽsæ magnitudinis; locus vbi sitæ sunt, admodum arenosus & sterilis est. Maxima Pyramis procul aspicientibus, minor secunda esse videtur, quod humiliore loco sita sit, sed si quis propius adsistat, sine comparatione multo maior apparet. Cæterum magis admirandæ sunt, quam Historici eas descripserunt. Amplissima extructa est gradibus foris prominentibus. Bellonius eius Basim dimensus est, quæ 4. angulorum paribus interuallis cum sit. 324. passus habet in singula latera, paululum extensis cruribus gradienda singulos passus numerando. A Basi autem ad cacumen ipsum supputationem faciẽdo, comperiuntur circiter 250. gradus, quorum singuli altitudinem habent 5. solearum Calcei, 9. pollicum lõgitudinis. In eius fastigio stans, apertè Cairum ex aduersa parte Nili situm, qua Arabiam desertam spectat, conspicere potest; ad Septentrionem vero conuerso, vniuersa Aegypti regio veluti submersa, maris alicuius instar videtur: inde porro ad Meridiem obuertens faciem, qua Africa est, arena sterilis oculis duntaxat apparet. Peritissimus atque validissimus Sagittarius in eius fastigio existens, atque Sagittam in aerem emittẽs, tam validè eam eiacula-

re non poteſt, vt extra molis Baſim decidat, ſed in ipſos gradus cadit, adeo eſt vaſtæ latitudinis hæc moles. Altera Pyramis, quæ magnitudine ſecunda eſt, nullis gradibus foris prominentibus eſt inſtructa; eam ob rem ſcandi non poteſt. Eius forma quadrangula eſt vti ſuperior ſed vſque ad faſtigium ſolida. Primæ faſtigium in planiciem deſinit, in qua 50. homines conſiſtere queant: Hæc autem in Cuſpidem deſinit, minus capacem, quam vt homo in ea ſtare poſſit. Foris intrita incruſtataq; eſt, atque eius pars, quæ ad Septentrionem vergit, proinde ab humore, quem Aquilones, ex aqua Nili, & nocturno rore illi inſpergunt corrupta eſt, ſicut prior. Tertia Pyramis duabus ſuperioribus longe minor, tertia habetur parte ea maior, quæ ad Teſtaceum montem eſt Romæ. Adhuc integra eſt, nec magis Rimis corrupta, quam ſi iam recens exſtructa eſſet: Marmoris enim genere conſtat, quod Baſaltes nuncupatur, vel Lapis Aethiopicus, ipſo ferro duriore: Sagittæ iactu longius diſtat quam ſecundaque minima apellatur, comparatione ad duas priores. Præter has tres plurimæ aliæ minores, hinc inde per arenoſam illam Africæ ſolitudinem ſparſę videntur, quarum plereque etiam paruæ, & rudioris operis; tum varij generis Sepulchra, ad corporum Cedria & Nitro conditorum ſepulturas, in Aegypto deſtinata, quemadmodum Bitumine in Iudęa. Hiſtorici prodiderunt Aegyptios pro facultatum ratione Sepulcra ſibi condidiſſe. Opulentiores aliquod opus magnificentius & pręſtantius fabricari curabant, vt Obeliſcos, Coloſſos, Pyramydes; medio-

cris fortunæ homines, mediocria opera: neminẽ autem adeo tenuis fortunæ fuisse, qui non lapides in cumulum cõgestos, pro sepulchro habuerit. Paulo infra amplissimam Pyramidem est ingens Saxeum caput, Nili alveo vicinum. Capitis ambitus per frontem cẽtum duos pedes colligit: longitudo pedum 143. est altitudo à vẽtre ad summum apicem in capite 62. Hoc Saxum formæ cubicæ insidet, nihilq; aliud est, quam ingens quædam facies sculpta, Cairum spectans. Eius faciei vel omnium eius partium, veluti Nasi, Oculorum. Oris, Frontis, Menti, & cæterarum proportio, adeò diligenter obseruata est, vt negari nõ possit, quin insigni artificio sit facta, attamen nullam habet cum aliarum Sphyngum sculpturis similitudinem. Saxum de quo hic agitur solidum est altitudinisque 67. pedum. Plinius 143. pedum longitudinem illi tribuit. Asserere non dubitat Bellonius, Romanos ex solido Saxo nunquam quippiam confici curasse, quod operis præstantia & sublimitate, cum Pyramide aut Obelisco, aut hoc Capite comparari possit: imo quidquid præstans vnquam fecerunt, ad Aegyptiorum imitationem id peregisse: sed & Sphingum effigies, quæ nunc in Capitolio Romano cernuntur, ex Aegypto delata esse, idque post Plinij tempora: nam ne vnam quidem notam obtinent eorũ quæ Plinius Sphyngi tribuit, neq; illarum aliqua vbera nec Alas habet: quæcunque autem Alas gestare videntur Chimerarum & Harpyarum sunt picturæ, nequaquam Sphyngum. Arabes in Cairo multas faciunt gesticulationes, quas etiam animalia

malia imitari docent, inter cetera Capras ipsas Ephippiū gestare, subsaltareque,& Calcibus ferire Equorum instar;quibus deinde Simias sessores imponunt.Asinos item concidere, humi sese voluntare,atque mortuos sese simulare, deinde in pedes salire,& Simias quæ sibi insederunt impetere velle.Atque quod rarum est, Cercopithecos similiter instructos habens,cum tamē animal sit admodum incōstans.Magnas præterea Simias illas,quas veteres Cinocephalos appellarunt adeo instructas habent, vt in orbem singulos Spectatores adeant,manuque protensa, vt in illam nummi reponantur innuunt,quos deinde suo hero ferunt. Circulatores sunt apud Turcas qui credituadmodum difficilia peragunt, ijs qui non viderunt:quemadmodum Ferreū Pistillum Pugno multoties in eadem hora incusso, confringere. Scribit Bellonius se vidisse quendam qui magnā Trabem erectam in humero gestaret, eamque sine manuum adminiculo,in alterum humerum succuteret,idq; subinde alternatim faceret, sine intermissione.Quini aut Seni plerumque conueniunt,opidaque & pagos circumeunt,quandoFora celebrari, hominumque frequentiam adfuturam sciunt.Istic occupato aliquo loco, mille gesticulationes propalam faciunt, nudis Pedibus supra acutissimos, Acinaces gradiuntur:Bubulos pedes crudos dentibus in partes diuidunt, quorū deinde Ossibus dempta carne, tam validè Crura & Brachia sibi verberant vt admirandum sit; nec verberare desinūt,donec huiuscemodi Ossa quina aut sena subsequenter cōfringant. Virium autem

tem robori, quale olim Athletæ præditi erant (de quibus Hippocrates & Galenus multa) id attribui posset, nisi plerique, & inter eos quidam corpore infirmi similia fecissent, eamque ob causam fraudem & imposturam subesse, suspicari posset. Inter Turcas quidam imperterriti sunt Funambuli: super extensos enim Funes, interdum Seni incedunt tantaq; agilitate se circumagunt vt Sciuri videantur: suspendunt se ex Capillorum Villo, quem in vertice Capitis gestant; Turcæ enim caput radunt, excepto vertice, in quo Villum relinquunt, quo Mahumetes eos comprehendere, & à terra sublevare queat in die iudicij.

ITER CAIRO IN MONTEM SINAI ET OREB, REDITVSQVE INde Cairum.

CAIRO in montem Sinai profecturo viatori, rebus ad illam profectionem comparatis, per Portam egrediendum quæ ad Septentrionem vergit. Cum autem iter per Arabiam facere tutum non sit magno cum comitatu proficiscendum: vasa etiam & vtres, fluminis aqua sunt implendi, quæ hominibus & Equis in octiduum sufficiat; siquidem per Solitudines est transeundum, in quibus nulli Fontes neque Riui reperiuntur. Annona quoq; secum ferenda, quæ in profectionem & reditum sufficiat. Carnes hoc modo præparantur Arietes iugulati & in Frustra secti elixantur, deinde abiectis Ossibus, in minuta Fru-

ſtra, extremi Pollicis articuli magnitudine conciduntur, quæ cum Cepis & pinguedine, adtotius aquei humoris abſumptionem elixatè Sale & Aromatibus aſperguntur & vaſculis reconduntur: Carnes ſic paratæ diu conſeruari poſſunt, nam poſt 15. dies, addita Cepe calefacte, videntur illo ipſo die apparatæ. Per ſteriles arenas faciendum eſt iter, vſqſte ad Sues puteum, quod iter tribus ſtationibus fecerunt aliqui: prior enim à Cairo ad Nili ripam fuit ſub Palmarum arboribus; altera in ampla planicie; tertia ad puteum Sues. Omnibus iſtac iter facientes, conſtitutas manſiones (quas Stationes appellant) ſequi neceſſe eſt; diſtat autem hic Puteus duntaxat ſexqui milliari, hoc eſt, ſeſqui horæ ſpatio ab oppido Sues, & caſtello includitur; eius aqua ſalſa eſt, quam tamen viatores & incolæ Sues, potare cogũtur, alterius penuria, niſi è Nilo importetur licet in Arce Sues ingẽs & elegãs ſit Ciſterna, quæ ſemel vel bis in Anno aqua pluuia impletur; nam tametſi raro iſtic pluat, ingentes tamen iſtic decidunt Imbres. Putei aqua, vt Cameli & Equi poteſt duntaxat vſui eſt: nam viatores aliam in ſuũ vſum deferre ſolent. Magnis ſumptibus olim exſtructus fuit, cum Sultanus Aegypto imperaret, vt vrbis Sues incolæ, faciliorem aquationem haberẽt, vtq; viatores iſthac trãſeuntes, ſuis iumentis aquã potandã præbere poſſent. Aedificiũ eſt admodũ amplum, muris cinctum & Arcis inſtar quadrãgulare, in quo Machina eſt ad hauriendam ex Puteo, qui altiſſimus eſt, Aquam, cum Rota, quæ à Bobus circumagitur; ſupra

Rotam

Rotam bini ſunt Funes ſimul colligati ad Pedis diſtantiam, ſecundum quorum longitudinem, multi vrcei adnexi ſunt,qui verſata à Bobus Rota,aquam ex Puteo educunt,atque in Alueum ſub Rota collocatam effundunt,quæ deinde per canalem,extra Arcem in Ciſternam fluit. Arx aliquantulum munita eſt, vt homines cum ſuis iumentis,tutiores eſſe queant. Hinc ad Arabici Sinus littus peruenitur, Sues ad quartam milliaris partem,ad dextram relinquendo, atque per ſterilem ſolitudinem iter faciendo Sena obſitam (quæ iſtic ſponte naſcitur) ad duodecim amaros Fontes venitur.

Duodecim Fontium aqua admodum ſalſa eſt & amara,feruntque 12.Fontes illos eſſe, quorum in Biblijs fit mentio: etenim Moſi Fontes adhuc nominantur:Solo ſterili,arenoſo, nitroſoque in ampliſſima planicie ſunt,50.Paſſibus forſitan inter ſe diſtans,non quod omnium æqualis ſit diſtãtia,ſed vnius cẽtum,alterius 50. reliquorum plus vel minus.Omnes è terra ſcaturiunt, ad Tumuli vel Colliculi radices, atque in varios Riuos ſe diffundunt,Fontium perennium inſtar, qui paulo poſt in Arena ſe condunt & euaneſcunt. Fontes à mari rubro gemino Baliſtæ iactu duntaxat abſunt,à montibus vero,qui ad ſiniſtram conſpiciuntur,integro circiter Milliari. Rubrum mare ſiue Sinus Arabici Canalis ad oppidum Sues deſinit,vbi ſtatio eſt Triremium Turcicarum, quæ in continentem hieme pertrahuntur, quoniam Portus ille à ventis male fidus eſt,Hoc mare, Canalis ſiue Sinus duntaxat eſt,haud latior.Sequana

inter

inter Haurefleur & Hondefleur in Gallia nec sine difficultate & periculo nauigari potest ob Scopulorum frequentiam. Nonnulli huius maris Aquam, Solumve, aut Arenam rubere existimant, sed falluntur. Eius Canalis à Septentrione versus Meridiem vergit, atque à Sues ortum habens, per 30. fere milliaria recta linea extenditur, sed paulo infra 12. Fontes, nonnihil ad Occasum sese cõuertit. Postquam æstus maris recessit, varia minutorum pisciculorum genera obseruantur, tum etiam Conchiliorum, & aliorum excrementorum marinorum, & in his Erinacei marini quintum genus, nusquam alibi conspectum. Hic quarta, à Cairo statio est. Impletis vtribus progrediẽdum per saxosa & arida loca nullisq; fruticibus predita, exceptis quibusdam Genistis. Hic Chameleones inueniuntur, multis notis ab Aegyptijs differentes: maiores enim sunt, colorisque plane diuersi, videlicet albi, cui ruber admixtus sit. Orygum quoque greges pascentes videntur, quæ ex montibus descendunt, vt ex dictis Fontibus bibant, & Rhamni folia depascantur. Inde ad exiguum Fontem venitur ibique quinta Statio est; Hic Cappares inueniuntur, quæ in pimularum Ficuum altitudinem excrescunt, adeò vt conscẽdendæ sint, ad earum fructus colligendos, quæ Gallinaceum Ouum magnitudine æquant, & semina intus continent: ipsę Cappares iuglandibus magnitudine non cedunt, & cum suo semine Piperis instar calidæ sunt. Ex earum Arborum albo est quę perpetua fronde virent, eius lana Bombycinis staminibus tenuior est, ex qua Arabes e-

legantes Pannos texunt longe tenuiores Sericeis,& ex Goſſypio confectis, candidiores. Inde per montana,ſtirpibuſq; carentia,& ſterilia loca iter faciendum:atque à mari deflectendum in planiciem Amphitheatrum quoddam continentem,nam vndique montibus cingitur vnico excepto loco. Iſtic ſexta Statio eſt. Inde ruſus ad mare redeundum quod in Arcum ſe quodammodo incurvat: Ad trium Sagittarum iactum per Aquam aut ſecundum Littus gradiendum : deinde eo relicto,in magnas anguſtias cōcedendum,inter arenoſos montes, in quibus etiam lanigeræ Arbores & Cappares arboreſcentes inueniuntur. Superatis ijs montibus,in planiciem peruenitur, in qua magni videntur greges Orygum, qui cum tam procul ab aquis viuant,occaſionem dant affirmandi,ipſas non bibere,vel ſi bibant rarius id facere. Inde inter difficiles Rupes ingrediendum, quæ Arabiam Petream à deſerto diuidunt. Deinde venitur in apertum locum, dextra & ſiniſtra celſis montibus obſitum,vbi Riuus aquæ fontanę invenitur, ex monte procul inde diſſito delabens. Ea prima Aqua dulcis, toto itinere à Cairo eo vſque, viatori obtigit. Apud Riuum eſt Pharagou.

PHARAGOV inſignis pagus, ab Arabibus habitatus ad loci ingreſſum eſt, licet terna aut quaterna ædificia exſtructa duntaxat habeat: nam eius regionis Pagi in ædium ſtructura non conſiſtunt, ſed hominum numero, qui ſub Palmarum arboribus habitant,aut ſub Rupibus.

Phara-

Pharagou elegans viatori videtur, eius regionis, quam emensus est respectu: nam Punica mala, Palmæ, Oleæ, Ficus, Pyri, & aliæ arbores fructiferæ, egregiam præbent vmbram. Primus pagus est, excepto Sues, quem viator à Cairo inuenit. Inde Rupes transcendenda, in qua Balani myrepsicæ arbores inter Saxa prominentes conspiciuntur; Betulæ magnitudine, similibusque Ramis. Aduerso Riua ascendentes viatores toto die per continuas valles iter faciendo, tandem ad radices præaltorum montium Sinai, perueniunt. Iter prosequendo, per difficilem ascensum subeundum est, vt in summam montem Sinai perueniantur: humana arte gradus ex solido Saxo parati sunt, & inter dum in ipsa Rupe excisi, quo facilius Cameli atque alia animantia in montem traduci queant: raro autem Equi, quod iter nimium sit difficile. Is ascensus per dimidium milliare durat. Cum ad summum peruentum est, plus quam binis adhuc milliaribus progrediendum est, inter montes, instar Tumulorum rotundorum hinc inde dispersos, & ab inuicem dissitos, alios alijs minores. Tum demum ad monasterium perveniet à meridie, qui summo diluculo, montem conscendere inceperit.

Monasterium in valle situm est, ad radices montis Oreb, magnaq; habet aquarũ commoditatem: nam Riuus è monte delabens eo perfluit, Cisternam implet aqua limpida, frigida, dulci, atque omnibus dotibus prædita.

Præaltis muris cingitur monasterium, vt etiam aduersus hostes, qui impetum in monachos facere vellent, sese tueri queant. Peregrini montem Sinai accedentes, in monasterio recipiuntur: nullum etenim aliud est diuersoriũ. Istic & Moschea est pro Arabibus & Turcis, atque hospitium illis deputatum, nam Christianis montem accedere, non licet, nisi comitantibus Turcis Arabibus. Per montis Sinai valles, amœnissimi conspiciuntur horti, in quibus vites & legumina colunt, tum etiam Brassicas, Lactucas, Betas, Cepas, Allia, Porrum, & similes vulgares herbas; arbores item frutiferas varij generis, præsertim vero Amygdalas. Qui inde montem Oreb conscendere volunt, Riuum qui in monasterium defluit, ducem sequuntur. Montem conscendentibus Oriens obiectus est; paulo altius progresso viatori sub montis Oreb vertice vallis inuenitur, in qua Templum exstructum loco, quo Helias commoratus esse dicitur: altius porro, gradus sunt, solido Saxo excisi atque Porta, quæ olim ad graduũ initium claudi solebat, vt id latus seiungeret; vt qui præsidium istic collocare velit, descensu ex monte in eum locum facile arceatur. Inde venitur in summum montis Oreb verticem.

OREB mons habitatus fuit ob fontis commoditatem, minime vero mons Sinai, qui aridus est. In monte Oreb sacra loca demonstrantur præsertim autem ea, quorum in Biblijs fit mentio. Inde descendentes magnam Cisternam inueniunt, inter binas Rupes, non procul à Sacello

Agiaf-

Agiasma nuucupato, in qua pluuia aqua adseruatur. Qui montem conscenderit, qua ad Orientem vergit, descenderit vero qua ad Occidentem spectat, ad montis radices exiguum Monasterium Saranda Pateres nuncupatum inuenit.

SARANDA PATERES angustum monasterium ex altero dependens, Templo preditum est, & à 40. Patribus nomem habet; in eo Panis, Vinum & Oliuæ conditæ inueniuntur. Istic sunt horti, varij generis fructibus exculti. Inde discedentes viatores, montem Sinai conscendunt, qua ad Orientem vergit, viatores autem adMeridiem spectantes. Sinai mons, Oreb longe celsior est; sicut Athos Mons Sole ad occasum tendente, insulamLemnum inumbrat; ita monsSinai Sole oriēte, monti Oreb, vmbram facit. Cum ad montis verticem peruenerit viator, durissimum Saxum esse deprehendet ferrei coloris, quod tamē Plantis non caret. Vndiq; montibus cingitur, & celsitudine superat montēOetam inGræcia, vel Idam in Creta; at Belonij opinione Olimpo Phrygiæ est humilior: adeo tamen celsus est, vt faciem ad Meridiem obuertens viator, facile vtrumq; littus Sinus Arabici, conspecturus sit, quod in Britannici Arcus formam incurvari videbitur: montes præterea, in quibus situm est monasterium D. Antonij aut D. Macarij, in solitudinibus, Aethiopiæ finitimus, supra Sinum Arabicum, vbi etiam habitant Calọieri Christiani & Armeni, aliter Maronitæ nuncupati. Deinde ad Orientem se obuertens viator, quousque acies Oculorum pene-

trare poterit, nil nisi montes & celissimę asperrimæque Rupes Arabiæ Petreæ ad montem Sinai pertingentes oculis eius obiectæ erunt. Inde porro conuersus ad Septentrionem, supra montem Oreb, qui sesqui milliari duntaxat inde abest, regionem frequentibus Rupibus & montibus obsitam videbit, ad Orientalem plagam vsque extensam, in qua Hierusalem, in montanis, monti Sinai contiguis, sita est. Cum ad Occidentem spectabit, nil aliud eius oculis se obijciet, præter Arabiam desertam sterilem, & arenosam, quam ex Cairo veniens emensus est. Deinde inter Occidentem & Septentrionem se obuertens viator, sereno aere regionem in qua mare Mediterraneum (quod quinque dierum itinere inde abest) discernere poterit, non ipsum mare conspicere. Istic etiam Fons est, ex eodem montis latere scaturiens, qui in Monasterium 40. Patrum defluit, vallemque & Caloierorum hortos irrigat. Planicies in summo montis vertice non multo amplior est, quam maximæ Pyramidis fastigium, hoc est 4. Passuum, sed paulo inferius multo est amplior, neque eo perveniri potest, sine summa difficultate; quoniam nulli istic adsunt gradus; & Rupes est admodum præceps. Descenditur inde in Monasterium 40. Patrum. Indeque ad D. Catharinæ itur monasterium vbi viatoribus ostenditur Capsa, in qua D. Catharinæ ossa adseruantur, quæ in templo pensilis est. Sacra Græco ritu celebrantur, multisque elegantibus picturis & reliquijs templum ornatum est. Turcæ qui montem Sinai accedunt,

cedunt, iſtic etiam Meſgedam habent, ſed in Chriſtianorum templo non comprehenſam: etenim ipſi etiam religionis gratia eò proficiſcuntur. Caloieri exteris cibum adminiſtrare ſolent, tam Turcis quam Chriſtianis, vilem admodum & exigui precij: Oryzam quippe, frumentum, Fabas, aut Piſa decocta, in lignea Paropſide in media Area proponunt, quam Cochlearibus coronant, & modicum Panis ſine Mantili addunt: ſinguli deinde eò aduenientes Arabum ritu ſe componunt, nempe vt pedibus extremis inflexis, Calcaneis inſideant. In itinere à monaſterio quadragint. Patrum, verſus Diuæ Catharinæ monaſterium, oſtenditur Rupes vnde effluxit aqua quæ filijs Iſrael ſitim ſedauit, Moſe eam Virga feriente: ſolidum eſt Saxum, rectum, eiuſdem qualitatis & coloris cum Thebaico lapide. Montem Oreb ſecundum eius radices circumeundo, per eum locum tranſitur in quo filij Iſrael fuſilem Vitulum conflantes, poſtea adorarunt. Huius Monaſterij atque aliarum ſolitudinum, cum Diui Antonij, tum D. Macarij Caloieri nullum frumentum colligunt: at Patriarcha qui in Cairo habitat, ſingulis annis illis id mittit, & Aegyptiaca legumina: oppidi Tor ad Sinus Arabici littus incolæ etiam piſces, inter quos Salpæ, Sargi, Spari & Canthari exſiccati obſeruantur: reconditas item habent Colymbades, Oliuas & legumina. Pecus in vallibus alunt, non vt eius carnibus veſcantur, ſed vt venúdent,

& quæstum ex eius Lana faciant, ad alenda sua mancipia: qui vero in vallibus habitant, vt Lac excipiant. & Caseos conficiant: nam Caloieri, neque Caseo, neq; Butyro, neque carnibus vescuntur. Vites colunt, & nonnulla Legumina serunt: Solum enim in vallibus, cum riguum sit & humidum, satis temperatum est. Nam Prealtus licet sit hic mons, adeo tamen frigidus non est, vt in Europa alpes, neque adeo calidus, vt Europæ plana & humilia. Adeo autem sterilia & arida sunt hęc mótana, vt nihil istic coli possit, nisi paucula quædam in humilioribus locis. Caloieri liquidam Mannam, in suis montibus colligunt, quã Tereniabin, ad durioris & concretæ differentiã, nominant.

Reditvs *è monte Sinai Cairum.*

Relicto quod viator in profectione Cairo in montem Sinai emensus est itinere, id quod Taurum ducit sequi potest, quod duorum duntaxat est dierum. Obseruantur eo itinere magni Orygum greges per Sinai montes & Rupes, quæ instar ouilium gregum multiplicantur, quod nemo eos venetur. Proficiscendum est ad montem admodum difficilem qui vnico die superandus est. Est is mons inter Taurum & montem Sinai; Eo tãdem superato, descensus viatori longe difficilior erit: est etenim cum è celso loco venerit, ascẽsus nõ adeo arduus videbitur, vt descẽsus. Paululũ in descensu progressus viator, amœnũ Fontẽ inueniet, qui secundum iter decurrit, eiusque

Riuus

Rivus diu ſequendus. Monte omnino ſupergreſſo ingredienda erit ampla laxaque planicies inter montem & Sinum Arabicum, iterq; proſequēdo peruenitur Taurum.

TAVRVS nuncupatur oppidum licet tenuis duntaxat ſit pagus: ſed quia celebris eſt iſtac tranſitus, mariſque Erythrei portus, oppidi appellationem obtinet: cumque regio ad inhabitandum ſit incommoda; magnum quidpiam eſt, talem pagum, in adeo ſterili loco conſpicere. Dimidio à Tauro milliari, in planicie, 40. Palmæ oſtenduntur, quarum in Biblijs fit mentio: apud has ſunt aquæ calidæ, quarum ſcaturigo haud multo maior eſt exili fonte: harum Rivus aliquantulum decurrens, breui per arenas evaneſcit. Summa loci incommoditas in quo Taurus eſt, facit vt pauci ſint incolæ: nam lignis & aqua dulci carēt, coguntur que procul ea petere: ad hæc Portus non admodum fidam Stationem nauibus præbet, cum omnibus ventis valde ſit expoſitus. Editiore nonnihil loco eſt Taurus, quoniam intumeſcēs interdum mare, totam planiciem inundat, & ipſum ambit Taurum cui contigua eſt Arx, arenoſo loco ſita, exigua, quadrato lapide conſtructa, ſingularibus turriculis in 4. angulis prædita, leviter fabricatis, & Foſſis aut aqua dulci carens: vicinum tamen habet Puteum, cuius aqua ſalſa eſt, Arcis latitudo eſt intra muros 60. duntaxat, longitudo 80. Paſſuum, quales celeriter gradiendo fieri ſolent. Magna Tauri pars à Iudæis incolitur, & Chriſtianis, Græcis, Arabibus & Armenijs: templum

etiam eſt Caloierorum Maronitarum magnus eſt iſtic ſiccatorum piſcium prouentus, quos, vbi capti ſunt, per Alvum aperiunt, atque exenteratos ſaliunt, & Sole reſiccant: eo etenim modo parati, diu conſeruari poſſunt. Taurus Caravannarum eſt ſtatio, quæ aromata ex Mecha & Arabia felici aduehunt: eo autem Piper, Gingiber, Myriſticæ nuces, Caryophilli, Lacca, Sanguis Draconis, atque Macis inuehuntur, aliquandoque eo mittuntur 20. cameli ſolum onuſti conchylijs rotundis, quibus claves in Europa appendi ſolent: at Cairi incolæ ijs vtuntur ad leuigandam & expoliendam Papyrum, atque Telas, coloribus permixto Gummi infectas, quibus amiciuntur vt olim ſolebant. Cymbæ Lintreſque & alia nauigiorum genera miſerorum & egenorum incolarum Tauri, aliarumque vrbium ad Sinum Arabicum, Funibus è folijs Palmæ contextis duntaxat conſutæ ſunt: quæ licet non adeo firmiter ſtipatæ ſint, atque ſi clavis ferreis, coniuncta forent, ijs tamen ſe mari concredere haud formidant, nam ligneis clauis ea adeo probè compingere, atque Pice ſtipare norunt, vt tuto nauigare queant. Aqua quam Tauri incolæ bibunt, dimidio inde milliari aduehenda eſt, eaque non admodum ſalubris: nam nitroſa & ſalſa eſt. Vicus eſt Tauri, aliorum locorum per Aegyptum more contectus, ſub cuius tectum incolæ concedunt, vt ab inſigni Solis ardore ſeſe tueantur. Nonnihil à Sinu deflectendo, ad fontem peruenitur, cuius aqua ſubdulcis quidem eſt, ſed nonnihil etiam ſalſa. Inde ſecundum littus faciendum eſt iter, atque ob montis in mare promi-

nenti-

nentiam, per aquam aliquando equitare necesse est. Deinde planicies denuo ingredienda in quà per molles & aridas arenas gradiendo, venitur in locum humidum inter montes. Ex eo loco progressus viator, in eandem viam redit, quam in mōtem Sinai proficiscens reliquerat; veniturque vbi Sinus Arabicus in planum littus se explicat, indeq; ad Fontes, & ad Sues. Itinere à Tauro quinque dierum.

SVES olim Arsinoe, primus Sinus Arabici vel maris rubri Portus est, &. Cairo vicinus. Alexandro è vivis sublato id nomen adeptum fuit. Magna est istic rerum omnium difficultas, eam ob causam à paucis incolitur: nulla etenim est aqua potabilis ad duo milliaria in circuitu. Istic conspicitur exigua quædam Arx, Veteri more extructa, infirma, in tumulo sita. Licet Turcarum Imperator ingentes sumptus fecerit, vt magis excultum eum locum redderet, ne hilum tamen profecit: tanta enim omnium rerum est ibi difficultas, vt vix quispiam ibi habitare velit. Navium statio quoque illic male tuta est, quoniam plaga marina omnibus fere ventis est exposita. Difficilis est nauigatio in Sinu Arabico, ob scopulorum, qui sub aqua latent frequentiam: attamen omnis classis, quæ à Turca mittitur aduersus Indos, in Sues instruitur. Inde redit Cairum viator eo itinere, quo venerat Cairo in montem Sinai proficiscens, potestque vigesimo die absolui, tota profectio Cairo in montem Sinai, reditusque inde Cairum.

ITER

ITER CAIRO GAZARAM, Ramam, Hierosolymam, Nazareth, Damascum, Balbec, Hamous, Haman, Marat, Halepum, Antiochiam, Adenam, Heracleam, Anciram, Cutiam, Prusam, & Constantinopolim.

CAIRO egressus quarta ab ipso milliaris parte, occurrit Mesqueda, indeque venitur in pagum Cauq, vbi annonam necessariam comparant viatores (etenim per sterilia loca faciendum est iter) Oryzam, Pisa, Fabas, Ova, Pruna', Fira, uvas, Dactylos, Ficus, Inde venitur in Catarum.

CATARVM pagus est, æditiore loco, nõ procul à Nilo situs; magnitudine respondet Cauq, palmæque arboribus cingitur. Elegantes istic coluntur horti, ob aquæ commoditatem, eamque ob causam celebris est pagus. Vlterius progressus occurrit Bilbez.

BILBEZ pagus est, ibi victui necessaria, in Foro perinde atque in Cauq inueniuntur. Inde digressis, interque Orientem ac Septentrionem tendentibus, à dextris præter sterilem planiciem nihil conspicitur, veniturque Salatiam.

SALATIAE, quamuis celebris sit pagus, ædificia tamen ex Palmarum duntaxat Ramis, ipsi arboris trunco innixis constant: sunt & præterea nonnullæ ædiculæ, nullius momenti. Incolæ quadrata quædam loca Harundinibus sepiunt, ad Galli-

Gallinas, Anseres & Anates coercendas. Inde emetienda est ampla planicies, Latronibus infesta incultaque per 5. horarum spacium: tanta hoc itinere aquæ penuria, vt vtribus ea ferri debeat. Ter eo itinere Nili alueus superandus est, aqua ad Equorum cingula pertingente, quæ amara & salsa est, quoniam marinæ permiscetur. Lati hic sunt Pontes, sed non admodum longi. Salsos Rivos prætergressi, inueniunt Carabassaræ rudera: inde per mollem, cedentem, mobilemque, Arenam iter faciendum, ea de causa Agasones Equorum & Mulorum suffragines, Pannis inuoluere & munire necesse est, alioqui mutuò attritu attererétur. Inde venitur Belbam.

BELBA Castellum est quadrangula forma, situm in Palmira regione (quæ haud procul à Mediterraneo mari abest) inter Aegyptum & Syriam, bidui à Salatia itinere. Eius muri admodum debiles sunt, quæque insunt ædificia, vitulorum stabulis vix sunt maiora: regio admodum sterilis & arenosa est, alioquin Palmarum siluis abundans, attamen pleraque victui necessaria istic inueniuntur. Eius regionis incolæ macilenti sunt, fusci & Sole adusti. Turcorum more humi non sedent cruribus decussatis, vt Galli Sartores facere solent, sed vt Arabes incuruati, summis pedibus terræ infixis, insident suis Calcaneis, totosq; interdum dies, eum in modum sedentes traducũt, nec magis defatigantur quam alij Scabellis insidentes. Binis à Belba milliaribus Puteus est in planicie, cuius aqua nitrosa est, attamen alterius penuria

nuria bibitur. Inde iter faciendum secundum mare Mediterraneum, quod ad sinistram relinquitur rectaque ad Orientem tendendo Sinai montes ad dexteram apparent. Qui recta profectionem ex Cairo versus Hierosolymam instituunt, neque Belbam, neque Salatiam adueniunt; sed alia via ingrediuntur, atque cibos & Aquam pro tota profectione circumferunt. Alij qua dictum est via progrediuntur ob Nili & pagorum commoditatem. Inde per planiciem faciendum iter, quæ per 6. horarum spatium durat, deinde in demissiorem planiciem descenditur Nitro omnino obsitam. Deinde maris Mediterranei Littore relicto venitur in Carabassaram muris cinctum, atque in Castelli modum exstructum, apud magnum Pagum, in quo victui necessaria venalia sunt, deindeque vberior inuenitur gleba, desinente arena. Est illud Carabassara limes & initium fertilioris Soli Palestinæ. Per vniuersum Turcicum Imperium, nullum est diuersorium, eamque ob causam elegantia ædificia Cara Bassara dicta, in pluribus Turcici imperij vrbibus & regionibus sunt, quæ Arabes Kan vocant. Instar magnorum hortorum sunt, quibus omnes viatores, cùm exteri, tum inquilini excipiuntur, nullo vel admodum exiguo persoluto præcio. Istorum Car Bassarorum cum per Aegyptum, tum per Syriam portæ suut ferreæ. Areamq; continent, in cuius medio est Propugnaculum quo se viatores conferunt: intra muros parte interiore Porticus sunt, sub quibus noctu se recipere licet pluuio tempore, atque etiam propter æstum die. Inter Gazaram, quæ prima vrbs est Palestinæ

lestinæ, & Belbam agri detserti inueniuntur ob Murium & Soricum abundantiam, quos nisi deuo rarent aues, Perempteri ab Aristotele nuncupatæ, à Gallis vero Bondrees, quas natura cateruatim eo mittit, nullam sementem possent facere incolæ, quin statim absumeretur. Deinde iter faciendum per agros frumento, Leguminibus, & fructiferis arboribus bene excultos, indeq; 4. integris horis per apertam planitiem arboribusq; liberam, Iter faciendo venitur Gazaram.

GAZARA muris cincta non est: Vetus in ea Arx est quadrangula in colle sita est, sed non firma, cui præest Sangiacus quidam. Solum circa Gazaram fertile est, abundatque Ficubus, Oleis, Ziziphis, Malis Punicis, & vitibus. Alit etiam nõ nullas Palmas, sed cuius fructus sero maturatur. Incolæ Gazaræ, Græci, Turcæ & Arabes, sua Vineta diligenter colunt. Gazara iter fit Ramam versus per elegantes planicies, iuxta pagos in colliculis sitos & agros omni tritici genere instructos recta à Meridie ad Septentrionẽ tendendo, haud procul à mari. In itinere planicies est Sacchariferis arundinibus & colocasia exculta, quam aqua ex puteo hausta rigant. Inde venitur Ramam.

RAMA fuit olim ampla vrbs, vt ex ruderibus apparet: nam cisternæ & Fornices, quæ etiamnum supersunt maiores sunt Alexandrinis, licet nõ adeo frequentes Eius situs est in solo pingui & fœcundo: quoniã aẽt adeo rari sunt incolæ

vix

vix decem ædes inhabitantur, Agrique maximâ ex parte ſunt inculti; coluntur tamen Frumentú, Hordeum, Legumina, & paucæ vites; iſticque venales reperiuntur carnes, panis, vinum, & alia edulia. Potior incolarum pars Græci ſunt. Rama relicta, per pinguia arva iter eſt, in quibus frumẽtum facile enatum fuiſſet, ſed incolæ ſuum commodum negligentes, ſegniter admodum terram colunt. Huc per valles montanorum iter faciendum. Adeo abundant hæc montana omni arborum genere, ſilueſtribuſque & aromaticis herbis, vt monti Idæ in Creta comparari poſſint, cui etiam temperamento, & alijs dotibus reſpondent. Excolitur terra in ipſis Scopulis ſcalarum in modum, vnde agnoſci poteſt veterum Iudæorum diligentia & induſtria, qui Solum alioqui petroſum & ſterile, cultura, fructibus abundans reddiderunt.

Montium pars quæ ad Occidentem vergit, vitium aliarumque fructiferarum arborum, vt Olearum, Ficuum, Malorum punicorum opulentiſſima eſt, ſi cum alijs quę ſilueſtres duntaxat arbores gignunt, conferatur. Poſtquam 4. milliaria per montana perrexeris, fons ad cuiuſdam Templi rudera invenitur, quod Monaſterium aliquando fuiſſe Chriſtianorum Latinorum ex picturis conijcere licet, & ex muri veſtigijs. Inde venitur Hieruſalem, quæ vrbs duntaxat 9. aut ad ſummum 10. dierum itinere à Cairo diſtat.

HIEROSOLYMA paucis ab hinc annis, nouis & præaltis muris cincta eſt, ſed infirmis,

mis, quique Bombardarum impetum minime ferre possint. Plana sunt ædium tecta, atque Officinę in primarijs plateis fornicatæ, vt in Alexandria, sed inæqualis est comparatio. Nam Hierosolymorum fornices ex quadrato lapide, superbè extructæ sunt, quæ nonnullis adhuc locis persistunt, ab eo tempore, quo Iudæi istic imperium obturbãt. Duodecim varia & inter se differentia Christianę religionis idiomata numerata fuere eorum qui in vrbe apud Sepulchrum habitant, sed postea octo duntaxat comperta sunt. Videlicet nationis Latinæ, quam ipsi Franke appellant, quæque omnibus antecellens, omnes comprehendit. Romanæ ecclesiæ obedientes: deinde Græca, illis Romeos dictæ, quæ mandatis Papæ non paret, sed suos Patriarchas habet peculiares: tertia Armenicum: deinde aliarum consequenter, vt Iacobitarum, Georgianorum, Christianorum, qui à cingulo denominationem sumserunt Coftique cognominantur: Indorum, qui ex Presbyteri Ioannis regione missi sunt, Abyssinique appellantur, admodum nigri sed non vt Aethiopes: quoniam autem in igne baptisati sunt, tribus adustionibus sunt in signiti, vna supra Nasum inter oculos, reliquæ duæ ad tempora sunt & circumcisi: Nestorienſiũ & Maronitarum, qui non differunt ab Arabibus. Singulæ istæ nationes, peculiare habent Sacellũ, quoniam in quibusdam articulis inter se differũt, atque aluntur pecunijs, quas Principes singularum Prouinciarum illis mittunt. Græci chorũm Templi obtinent, & Calvariæ custodia illis demandata est: Latini Sepulchri custodiæ præsunt.

 Huius

HuiusSepulchri tēplū, cōprehendit totū Caluariç locū qui in plano situs est, non in mōte, vt pleriq; ęstimarunt, sublime est & rotunda forma: in alto apertum est & inde recipit Lumen. In huius rotuditatis centro est Sepulchrum Domini, conclusum Sacello , rotunda Fornice tecto, ex solido marmore. Hierosolymarum plateæ , in quibus mercatorum Tabernæ, in fornicem tectæ sunt (vt in reliquis Turcici imperij Vrbibus) Anteridibus postica parte firmatæ siue fultæ. Hierosolyma Sangiaci sedes est, qui certo numero Spahiz, hoc est, equitum præest; Sangiacus regionis Præfectum significat: Spahiz vero non libere vagantur per pagos Hierosolymæ vicinos, rustici enim eos ferre nolunt, sed in vrbe apud Sangiacum versantur. Hierosolyma egressi inueniunt Elpira pagum.

ELPIRA pagus est duobus ab Hierosolymis cū semisse milliaribus distans: huius pagi rudera, celebrem & magnum aliquando fuisse declarant. Fœcundum est Solum, Vitibus, Ficubus & Oleis. Hoc in pago est Car Bassara fere dirutum, contiguum perenni Fonti. Inde ad Septentriones tenditur per agros Sesamo & Xilo consitos, semperque descendendo (est enim Hierosolyma edito loco sita, & vndequaque ad eam pergendo, perpetuo ascendendum est) venitur Napolosam.

NAPOLOSA aliquorum iudicio Sichar vel Sichem dicta fuit in Samariæ regione, postea Neapolis appellata. Napolosæ vicini colles fru-

fructiferis arboribus egregiè exculti sunt. Est Napolosa in accliui collis sita castellumque habet vetustum. Quotquot Hierosolymam proficiscentes, aut inde redeuntes istac iter faciunt, binos in singula capita Ducatos, pendere necesse est. Ante lucem inde digressus viator, per montes & valles, fontibus & Riuulis è montibus labentibus irriguas (norunt enim incolæ per Canales hinc inde eos distribuere, vt fœcundus Solum reddant) iter faciendo, sub vesperam in Nazareth peruenire potest.

NAZARETH exiguus est pagus, inter colles irriguos situs in Galileæ regione; ab Arabibus incolitur, viris breuibus & gracilibus, vt sũt reliqui Arabes. Inde haud procul est Lacus Genezaret vel mare Tiberiadis, in quò Ciprini, Lucij, Tincæ & Chevesnes Gallorum, siue SqualoRomanorum & Venetorum capiuntur. Hinc toto die per steriles agros iter faciendum, exceptis humidioribus quibusdam locis in quibus incolæ Colocasias, Brassicas capitatas, Betas crassa radice præditas, cepas, Allia & paucas Musæ stirpes colunt. Inde venitur Caphernaum.

CAPHERNAVM pagus multis fontibus irriguus est; inde Tiberiadis lacus ambitus cõtemplari licet & Galileæ regionem, sicut & Bethsaidæ pagum, similiter & Choraizim. Pagi illi, nunc à Iudæis incoluntur, qui circumquaque passim ædificarunt, & ob piscationes istic constiterunt, locaque antea deserta, incolis frequen-

 tiora

tiora & cultiora reddiderunt. Hic lacus non ade
late patet, quin terra circumquaq; conſpici poſ
ſit. Inde in Gar-Baſſara venitur, amni Iordano vi
cino, qui ponte Lapideo ſuperatur. Non procu
ab eo Car-Baſſara ſunt pagi, quorum incolæ ruſti
ci, venelia in id aferunt Ova, Gallinas, Panem, Fi
cus, uvas paſſas, ziziphaque alba & rutila. Inde di
greſſus viator, per ſaxoſa aſperaque loca iter fa
cit (vnde ea regio Thrachonitidis cognomen ac
cepit) donec ad Car-Baſſara quoddam tribus à Da
maſco milliaribus perueniat; cui vicinus eſt pa
gus. Inde bene exculti & fertiles agri inueniun
tur, atque frequentes Pagi; ad ſiniſtram Tripolita
ni montes & Phœnicia conſpicitur. Inde ante
quam in planiciem deſcenderit viator, in æditio
re loco conſiſtens, Damaſcum vrbem commodc
videre poteſt. Deinde venitur Damaſcum, qua
vrbs ſex dierum itinere diſtat Hieroſolyma.

DAMASCVS vrbs depreſſo in loco ſita eſt,
atque ob Salices, Populoſque cum albas tũ
nigras, per planiciem creſcentes, in media ſylua
poſita videtur: vniuerſum vero planiciem irrigan
tes Rivi, è montibus labentes, & per Canales di
ſtributi, fœcundiorem eam reddunt, & eleganter
cultos hortos efficiunt. Chryſoras fluvius, tãtam
aquæ commoditatem Damaſci incolis præbet, vt
ſinguli fere Fontem habeant, cum in ædibus tum
in hortis. Vrbis plateæ anguſtæ ſunt & flexuoſæ.
Forum quod ipſi Bazar vocant, elegans eſt & ſu
pra contectum. Ædificia ſic ſatis probè exſtructa
ſunt; ſed maximam elegantiam his addunt Por-

ticus

ticus Pilis sustentatæ, ad fugiendum æstum aptæ. Duplici muro vrbs cingitur; vtriusque muri turres vicinæ admodum sunt: nam inter binas orbiculares easque inæquales, tertia maior, eaque quadrandula media est: Vrbis fossæ altæ non sunt; in ijs albas Moros colunt, Bombycum alendorum gratia. Parua Arx quadrangula, extra mœnia sita est, quæ tamen mediam vrbem occupare videtur, nam suburbia, duplo ampliora sunt vrbe, foraque in suburbijs habentur, sed ipsa Fori loca intra mœnia sunt. Vrbis portæ ferreis Laminis tectæ sunt, Cairi vero Corio. Ad Orientem Turris est quadrangula, cuius fastigium inscriptionrm habet Arabicis characteribus expressam, quam istic positam ferunt, postquam Damascus Christianis adempta fuit: nam paulo infra conspiciuntur bina Lilia marmori insculpta, & ad eorum latus Leo. Opificum Tabernæ Cairinis sunt similes. Cum Medici ad ægrum evocantur, ipsimet medicamenta conquirunt; cum ægro enim paciscuntur, & pro morbi ratione curaturos se recipiunt, neque integram summam persoluet æger, quin primum morbo liberatus sit. Qui simplicia medicamenta venalia proponunt, composita etiam habent. Merces venduntur ad ponderis genus, quod ipsi Rotulo appellant, 7. Libras pendens, cum Damasci tum in Syria, atque etiam in Aegypto. Tabernæ sunt Damasci, in quibus solum expurgatur Xylon, & à suo semine seiunguntur; Laminam ferream pedem longam, duosque digitos crassam habent, qua Xylon in Assere premunt: Semen quod rotundum est, fugit Ferrum, eaque ratione

 ab ipso

ab ipso Xylo secernitur. Saccharum Alhasur nuncupatum in Aegypto nascens, in planta quadam, recens adeo temperatum est, vt Sitim ilico sedet & Tussim breui curet. Magnus est Damasci Iudæorum numerus, qui seorsum habitant, quemadmodum Avenioni, Armeni vero & Græci hinc inde per vrbem liberam habitationem habent. Veneti istic Præfectum, tanquam Consulem vel Prætorem alunt, mercimoniorum causa. Is solet Venetijs secum adducere omnis generis opifices, quorum opera vti possit, nempe Sartorem, Sutorem & alios multos similes OPIFICES: præterea Medicum Chyrurgum & Pharmacopæum, more patriæ vestitos. Damascus est sedes Bassæ, veluti Cairum; in vrbe tamen non habitat, nec in Arce, propter rebellionis metum. Syriaci Arietes adeo longa cauda non sunt præditi vt Aegyptiaci, sed minus latam & crassam non habent. Insignis, magna admodum, & elegans Damasci Mesgueda, tum etiam Basestan, locus in quo venduntur exquisitissimæ & magni præcij merces, vt Sericea stamina, omnis generis colorum: ex Auro & Argento confecta Monilia: Gemmæ Orientales, Acinaces, Ephippia, Frena, aliaque eiusmodi magni præcij opera, tum etiam mancipia masculini & fœminei sexus. Omnia apud Turcas proclamando venundantur, nullumque istic est oppidulum, quod suum Basestan non habeat, nec pagus in quo non sit Forum, quod Bazar dicunt. Damasci ædificia, eadem symmetria sunt exstructa, cum Cairinis, ad frigidiorem Auram exlipiendam.

Quem-

Quemadmodum autem in Septentrionalibus prouincijs Vaporaria fiunt, quo se à frigore commodius tueantur, sic ædificia Damasci, in modum Porticus sunt exstructa. Fenestris vtrinque satis depressis, vt humi desidentes, facilius aerem frigidiorem excipere queant, uvæ passæ, quæ ad Europæos in platini Pixydibus adferuntur, vere sunt Damascenæ uvæ, quas Arabes Zibeben appellant. Nullas in Damasci regione Ferri fodinas esse arbitrantur aliqui, ex quo Chalybs liquetur, sed is qui Damascenus cognominatur, istic solũmodo repurgatus est. Ferrum, Chalybs, Aes, aliunde delata, illic temperie, & præparatione perfectiora redduntur: insignes enim sunt Artifices in ære & chalybe sculpendo. Propterea ærea, chalybea & cuprea opera illic facta, statim Cairum aut Constantinopolim deferuntur, vbi plura huiusmodi opera reperiuntur, viliorique præcio cõparantur quam Damasci. Secundo riuo Chrysoras veteribus appellato, qui vrbem perfluit, eiusque planiciem irrigat, ad hortos extra vrbem sitos peruenitur. Falluntur qui illum Iordanis esse caput existimant. Vrbe Damasco egressi adque Septentrionem tendentes, ad radices proximi montis, ex quo defluit Rivus, qui vrbem perfluit, progrediendum, deinde mons præceps conscendendus, in cuius culmine constituti vrbem Damascum cõspicere possunt, latè patentem, & aliquorũ iudicio magnam: nam horti varij generis Arboribus consiti, simul cũ vrbe cõmixti apparẽtes in elegãti illa planicie, egregie rigantur à Riuo, qui tãto impetu ex mõte deuoluitur, vt vicinis locis stre-

pitus exaudiatur;at poſtquam in planiciem deſcendit,adeo temperatè fluit, vt duci, & in plurimos Canales diſtribui poſſit, pro incolarum arbitrio. Superato monte,colliculi occurrunt,multis pagis frequentes, vbi terra multa diligentia excolitur. Solum cum ſit pingue redditur vberius,deducta circa iſtos Colliculos aqua. Vitium ſtipites admodum craſſi ſunt, atque Palmites latè extendunt: nec ignorant incolæ qua ratione colere debeant; nam tanto intervallo conſerunt,vt facile Carrus inter illas duci queat. Non mirum eſt igitur,ſi uvæ adeo magnæ ſint vinumque adeo generoſum præbeant;quemadmodum mirari non decet, ſi in nonnullis regionibus vinum adeo tenue ſit vt aqua videatur, cum incolæ vites tam contiguas plantent,vt inter eas, pedis veſtigium vix figi poſſit ad illas excolendum. Aratra in planicie à Gallicis differunt: nam duo Aſini vel imbecilles boves, Aratrum ſine Rotis è populea materiæ confectum, duplicique vomere admodum leui conſtans,ſine Buride, trahere queunt: itaque non difficilis eſt aratio,cum Soli ſuperficiem dũtaxat ſcalpant: domum redeuntes, Aratrum humeris impoſitum referunt. Longius progreſſis,iã Libanus mons,apparere incipit, veniturque in Calcous.

CALCOVS pagus eſt,in quo Carbaſſara fornicatum atq; in ſolida Rupè inciſum, veluti ſunt reliqua eius pagi ædificia. Inde itinere quod in Libanum ducit inſiſtentes, vt Tripolis adeatur, Antilibanus contiguus ad ſiniſtrã relinquitur inter

viato-

viatorem & Phœniciam. Monasterium Caloierorum Maronitarum & Græcorum in summo Libani vertice est, qui præaltas Cedros ostendit, ijs, ex quibus Salomon Templum extrui curauit, vt perenne esset, similes. Ab itinere deflectendũ vt in Balbec veniantur.

BALBEC vetusta est & celebris Pheniciæ vrbs, ad montis Libani radices sita. Balbec vicinus viator, in planiciæ inueniet Sepulchum, breuibus & crassis, ex Thebaico lapide columnis sustentatum, in Fastigium assurgens. Amœno loco est Balbec, sed nunc ferè omnino diruta: ex ruderibus eam percelebrem fuisse colligere licet. Superest Arx, quasi integra, in qua 9. prææltæ columnæ, cuius Scapo Epystilium impositum est quadratum. Multę sunt extra vrbem Areæ, quadrato lapide Sepulchrorum in modũ exstructæ, quæ Arabicas habent inscriptiones. Incolæ magna ex parte Iudęi sunt, aiuntque Salomonem eam vrbem exstruxisse. Sed Cæsarea est Philippi, cuius D. Paulus meminit apud quam Iordani fluentes defluunt. Mœnia admodum alta non sunt, sed Saxorum pulchritudine aliorum omnium mœnia superant, & sumptuoso opere exstructa sunt. Fossa tamen carent. Antiquitatum studiosus integro octiduo, omnia in Balbec spectata digna, obseruare vix posset. Inde egresso viatori, se offert substructio, ex valida materia coagmentata, ad Collis cuiusdam accliue, 25. Passus longa, & 15. lata, sic satis capax, cuius muri non sunt alti, sed crassitudinis immensæ. Exinde venitur in Lubon.

LVBON pagus eſt. Hic videtur antiqua fabrica operis Romani adhuc integra, ex ſolido Saxo duas Orygas lato exſtructa. Egregiam vmbram huic pago præbent Vlmi & Iuglandes. Riuus è monte delabens, aquam adminiſtrat. Inde in planiciem venitur, pauloque longius progreſſo viatori Collis ſubeundus, exinde in planiciem deſcenditur illi ſimilem, quæ ad Damaſcum eſt, in quā deducta per Riuolos aqua agros vt æquor planos, fæcundoſque reddit. Multi pagi hinc inde ſparſi conſpiciuntur, in quibus Arbores diligenter coluntur, præſertim vero Morus nigra & alba, quarum Folijs alunt Bombyces. Morum nigram & Ficum, ſyluulæ in modum cædunt, quoniam Folia è virgultis eodem Anno natis erumpentia, teneriora ſunt. Raro per Syriam & Aſiam ruri conſpicitur elegans aliqua ſubſtructio, quoniam magna pars Orientalium hominum, totiuſque Aſiæ, Syriæ, Aegypti & Arabiæ, mancipia ſunt, nec magnificè ſubſtruunt vt ſit in Europa; ea propter regio maxima ex parte cultura caret; ſed & in ipſis vrbibus, ſubſtructiones ex vili materia conſtat. Emenſa dicta planiciè ſuperatis montibus, hinc inde ſe latè porrigentibus deſcenditur in planiciem, ab ipſis incluſam in Cilicia. Paululum per planiciem progreſſus viator inuenit Car baſſara. Cæterum Aſiæ Car baſſara alia ratione gubernantur atque Arabica: nam Ianitores illorum, viatoribus hordeum, quod Camelis detur vendunt (Auena etenim in ijs regionibus non inuenitur) proquæ ea re Tributum Turcico Imp. pendunt Relicto dicto

cto Car. bassara, iter faciendum per dictam planiciem vsq; Hamous.

HAMOVS vrbs, Arabibus Hamze, Turcis Haman, veteribus Emissa nominata est. Eius mœnia olim ex solido Saxo constructa fuere, quæ etiamnum persistunt: mœniorum ambitu, includitur præaltus tumulus ex planicie facile conspicuus, in quo Arx à Romanis olim extructa. Superest adhuc extra vrbem Sepulchrum distegon in Pyramidis quadrangulæ modum fastigiatum, validoque Cemento constructum, in quo C. Cæsaris Epithaphium Græcis characteribus inscriptum. Magna est in Haman Sericei staminis abundantia: nam Bombyces magna cura & diligentia alunt, ob riguorum hortorum commoditatem, in quibus Ficum, Morum & alias Arbores fructiferas colunt. Riui enim è montibus delabentes, totã planiciem vberem reddunt. Istic fiunt Strophiola & pepla, versiculoribus Sericeis & Aureis contexta Filis: vel ex Sericeis Saminibus albis, rubris, & flauis, quibus admixta sunt Aurea, nomine illius vrbis per vniuersum Turcici Imperatoris dominium, celebria. Haman digressus viator, locum in colle situm transit, quem Sebastopolis vrbis rudera esse nonnulli existimant, vbi adhuc pleræque erectæ Columnæ conspiciũtur, quas aliqui palatij Herodis, alij Herodiani esseasserunt. Vulgaris tamen inquilinorũ opinio est, columnas esse Templi D. Ioanni cõlecrati, illique illic Caput ademptum fuisse. Inde in vallem descenditur. Lapideo ponte

superatur

ſuperatur Amnis,quem plerique Oroum exiſtimant,alij Irin,alij Martiam;magnò is impetu labitur,Molaſque verſat.Inde rurſus conſcendendum eſt,vt in planiciem perueniatur(quæ Bellonij iudicio antiquitus Sabæus campus nominabatur)amplam & vnius diei itinere patentem, arboribus plane liberaque;in ea feriturSeſamum & Goſſypium.Inde venitur Hamam.

HAMA ſiue Hamza olim Tarſus dicta, dimidij diei itinere ab Hamam(quam nonnulli Neoterici Apamiam veterum exiſtimant) diſtat. Sita eſt hæc vrbs in valle, olim admodum populoſa,vt ex mœnibus late ſe explicantibus & Ruderibus apparet.Arcem habet in Colle ſublatam vt ea quæ in Hamam eſt. Conſpiciuntur adhuc multæ veteres,magnæ præalteq; Turres. Verum quidem eſt ſecundum Cydnum flumen,quod mediam vrbem ſecat,Ficum,Morum, Iuglandem aliaſque fructiferas Arbores prouenire, ſed campeſtria ab Arboribus libera ſunt. Magna aquæ commoditas qua horti rigantur,facit, vt hæc regio mediocriter culta ſit: nam cum fluminis alueus admodum depreſſus ſit, magnis Rotis aqua ex eo ſubleuatur, & per Canales, non modo in hortos diſtribuitur,ſed etiã vrbis Balneis ſeruit: habet etiam magnas Meſguedas ſic ſatis bene inſtructas: at priuatorum ædificia hinc inde ſparſa ſunt in Colliculis.Fluuius vada fere ſuperari poteſt,nam Cataractis exiguis ſiſtitur, vt per Canales, Molas verſare queat. Hama ſiue Tarſus D. Pauli patria eſt,qui tamen iſtic non natus,ſed pa-

go

go Gischali in Galilæa, apud mare Tiberiadis. Inde per argillaceum Solum, & campestria loca latè patentia, aquæq; expertia iter faciendum. Ciliciæ incolæ, vt cõmodius vitam traducere queant, rationem conseruandæ aquæ in suum & iumentorum vsum inuenerunt: nam cisternas in ipso Saxo, sub terra excauarunt angusto superius ore, qua aqua pluuia ingredi possit. Quod si interdum ea aqua desit, plusquam 4. milliaribus inde petenda est. Indè per campestria loca iter est, vsq; ad Marat rudera.

MARAT fuit olim ampla & elegans Vrbs, vt ex eius Ruderibus apparet, quam olim Maromas nomine fuisse insignitam credi posset, non tamen asseri. Mirum est non aliter habitari, quandoquidem & Fontibus & Riuis non destituitur: nonnullæ solummodo Mesguedæ conspiciuntur, & pauca quædam Aedificia, sub Fornicibus. Marat æqualiter distat ab Tarso & Halep. Inde inuenitur Car bassara. Deinde iter est per loca adeo plana, vt æquor planius esse nequeat: exinde venitur ad riuum versus Halep labentem, quo prætergresso mollius Solum desit, sequiturq; aspera per montes & Xaxa via: deinde Oleæ, Mali, Pyri, Prunæ, Amygdalæ conspiciuntur. Distat is Riuus tribus ab Halep milliaribus.

HALEP ab omni antiquitate celebris fuit, nam totius Orientis maximum Emporium est. Ex Neotericis nonnulli veterum Hierapolim esse existimant: at Gillius Beroheam esse censet.

ci, multisque locis sunt obliqua vti Hierosolymitana Turresque in ambitu sitæ admodum seiunctæ. Octo portas habet Halep, & frequentia vineta viretaque, elegantes quoque hortos, in mœniorum ambitu, in quibus Brassica capitata, Lactuca, Beta, Porrum, Cepaque coluntur, in Foro deinde venum exponenda. Veteribus numismatibus vtuntur Turcæ ponderis vice, Vnciarum videlicet, Semivnciarum, & Drachmarum. Halep profecturus Antiochiam, per excultos riguosque agros iter facit vsque ad Farrou.

FARROV pagus est: iuxta eum in agro prælaltæ columnæ Scapus erectus stat, sine Epystilio. Paululum inde progressus viator agros relinquens, per confragosa loca, perque Colles iter facit. Arcis rudera hic conspiciuntur. Per valles deinde iter faciendo, ad sinistram relinquitur vetustum ædificium dirutum, monasterij cuiusdam forma, cuius vmbilicum occupat elegans Turris: aliud præterea elegans ædificium è quadrato Saxo constructum, in quo Latini Characteres sculpti, sed dirutum, Romanorum haud dubie opus. Prætergrediendus deinde Riuus qui ab ipsa fontis scaturigine, tantum aquæ effundit, vt ea, ad Lora, quibus Cameli cincti sunt pertingat. Venitur deinde ad Basim arcis Hierim.

HEIRIM Arx, omnino diruta est, solitarioque loco, qui si coleretur, non minus fœcundus esset, quam quiuis in Italia vberrimus.

In

In Tumulo sita est, vt eæ, quæ in Halep & Ham
sunt, vixque credibile est, decem hominum m
lia, intra decennium excauare Scopulum, ad F
sas quibus predita est faciendas eumque perfr
gere potuisse. Videtur natura elaborasse vt hu
Tumulum, in Scopulo collocaret, quo hæc A
exstrueretur: campestria loca deinde inueni
tur admodum latè patentia, vbi flumen Oro
Antiochiam defluens, longe supra ipsam supe
tur, magno Ponte, in quodam stagno, quod ol
Meandropolis stagnum nuncupatum credit
Diu fluminis illius cursus sequendus done
stagnum se is effundit. Sub stagno sita est Ant
chia quæ bidui duntaxat itinere ab Halep dis
Qui eam videre volunt, à recta via quæ Dama
Constantinopolim ducit deflectunt, eaq; ad d
tram relinquitur, recta enim ad Amanum m
tem proficiscendum est, & inde Adenam, qu
tamen (Amanum) licet Antiochiam deflecta
superare nihilominus oportet. Is quoniam ni
apparet, Turcico & arabico idiomate, Niger
pellatur.

ANTIOCHIAE situs perrelegans est,
que paucis verbis vix describi queat, r
mœnium structura illam admirabiliorem
dit, alia quapiam vrbe in plano constituta. T
monium insigne præbet, Antiochum ingent
nimi & incomparabilis magnificentiæ vi
fuisse. Murorum ambitus non minor est Nico
diæ aut Constantinopolis: frequens habitat
Græcis, Armenis, Iudæis & Turcis. Fontanis a
ab

abundat, è Rupe muris inclusa, scaturientibus: pars mœniorum montem ambit: altera pars, per duorum montium iuga porrigitur, qui valli vicem illi præbent: nam tres montes murorum ambitu complectitur, qui non sunt Tumuli, vti Romæ vel Constantinopoli, sed præalti montes, in quibus exstructum fuit Antiochi Palatium, nondum planè dirutum, pleraque enim adhuc integra restant. Vt magna cœnacula, cubicula, & Cisternæ immensæ capacitatis: ad earum; quæ Philippis in Macedonia sunt formam, exstructæ, integra enim Arcis & mœniorum materia restat, in quibus Turres præaltæ sibi inuicem admodum vicinæ conspiciuntur, quibus extruendis Operæ Cemento non pepercerunt; habentque singulæ suam Cisternam. Mœnia ad Occidentem spectantia, tali artificio sunt facta, vt onusta vehicula, Equique cum suis Sessoribus, per interiorem muri partem, inter vtramque Fornicem, in summam vsque Arcem perduci queant. Montes vrbi vicini. Ilice, Alaterno, Coccigero frutice, Andrachne, Stęchade & Stachide abundāt. Ciconię quę æstate in Europa degunt, istic per hiemis partem, quemadmodum & in Aegypto aluntur. Onocrotali quoque aliæq; diuersi generis aquaticæ aues, in lacu supra vrbem sito viuunt. In montibus pascuntur Verueces, breui quidem, sed pingui pedemque lata cauda. Eius regionis incolæ atque etiam per vniuersam Turcicam dominationē, in diem vtuntur Pane malè cocto, fermētato. Bombyces, quas Itali Caualieri nominant, magni sunt in ea regione quæstus, aluntur que Fi-

 cus

cus & Mori folijs, secundum fluminis Ripam cultarum. Singulares res Antiochiæ visuntur, vt porta D. Pauli, Sepulchraque varia Sanctorum. Vetusta præterea plurima monimenta istic conspici posset, qui curiosius ea requireret. Solum pingue est adeo, vt Equi ad cingula vsque in cœno mergantur. Antiochia tendentibus Adenam, transeundus est Orous amnis diuque sequendus veniendumque in Sarameli.

SARAMELI pagus est in planicie ad radices præalti montis, Amano contigui. Duorum inde milliarum itinere sunt præcelsi montes, secundum quos iter faciendum. Mons Amanus, vulgo appellatur Monte negro, id est, niger, attamen non ille est, qui Plinio Mons ater dicitur. Via admodum recta & præcipiti conscendendus est mons, atque difficiliore quam vllam eo vsque inuenerit viator, eique impendendæ erunt plus quam 6. horæ, ante quam in summum montis Iugum perueniet, sed in summo eius vertice constitutus, & qua venerat prospiciens, apparebunt summa montium Syriæ & Cairi iuga, præsertim vero eius qui Pierius mons censetur, quem præcedentibus diebus secundum eius radices ambiuerat: apparebit etiam Taurus mons, procul ante viatorem in longitudinem excurrens. In descensu, viam neque adeo difficilem neque molestiam inueniet viator, atque in ascensu, quia non est præceps. Ad imum montem Riuulus est, in Littore maris, quod in Arcum se incurvans magnum admodum Sinum efficit, qui Issicus appellatur: Pamphylium id est mare, Ci-

li-

licio ex parte coniunctum. In Amano monte consistens viator mare montis radices, alluens conspiciet, adeoque vicinum, vt coniectus Lapis facile in mare mediterraneum devoluatur; conspiciet etiam Taurum montem assurgentem ex Littore, Cypro insulæ opposito. Diu deinde iter faciendum erit secundum Littus marinum, & Sinus circumeundus multique elegantes Riui superandi; deinde alius mons admodum angustus & difficilis, Pinastris obsitus; post quem, Castellum ad ipsius radices situm est, in quo perpetuæ fiunt excubiæ, quoniam admodum trita est hæc via: paululum sub castello, est Riuus. Inde per loca campestria & plana iter faciendū, deindeq; ad maris littus regrediendum, amnisque transeundus, qui forsan Issos est. Amœnissima sunt ea loca, nam secundum viam publicam, crescunt Laurus, Ilex, Platanus, Smilax aspera, & aliæ pleræque stirpes perpetuo virentes; montes dextrum claudunt latus, mare sinistrum; deinde superato Amne in vastam illam planiciem peruenitur, in qua Alexandrum cum Dario conflixisse creditur. Transeunda Fornix admodum vetusta, ex latere & intrita materia, longe quam Saxum duriore exstructa; hanc Autores veteres Portas Cilicias vocarunt. Quaqua versum aciem hic obuertet viator, planicies velut Amphitheatrum apparebit; nam prælalti montes, Lunę crescentis in modum, illam ambiunt, vt Sinus Issici mare recipiant, sub portis Cilicijs singuli. Raros habet ea prouincia incolas, illique qui

iſtic viuunt, neque piſcationi, neque nauigationi indulgent; hinc factum vt toto illo maris Littore, ne vnica quidem nauis conſpiciatur, & terra inculta relinquatur, licet admodum rigua ſit: plus enim quam 30. Riuè montibus altis labentes, atque in mare ſe exonerantes, duarum horarum ſpatio tranſmittendi. Poſtquam à Portis longius abſceſſerit viator, per ſterilia & confragoſa loca iter faciet, deinde veluti per cæduas ſyluas vſque in Car-baſſara, cui vicini ſunt pagi perueniet. Pumilionis Lupi genus eſt in Cilicia, atque etiam in vniuerſa Aſia, qui rapit & aufert quidquid impedimentorum inuenire poteſt, eorum qui æſtate extra Car-baſſara noctem traducunt. Medius eſt inter Lupum & Canem. Eius plerique veteres Autores cum Græci, tum Arabes meminere; Græci vulgari nomine Squilachi appellant: eum eſſe arbitratur, quem veteres Græci, aureum Lupum nominarunt; adeo furax eſt, vt noctu adire non vereatur eos qui dormiunt rapitque, quidquid inuenit Pileos, Ocreas, Calceos, frena, aliaque huiuſcemodi: ſemper catervatim incedunt, vt interdum ducenti ſimul conueniant, nihilque illis frequentius per Ciciliam: ſinguli alternatim latrant Canum more, & hau hau exprimunt. Singulis noctibus latrantes audiuntur, & niſi canes eos arcerent, in pagos vſque penetrare non formidarent: elegantis flaui coloris ſunt, exque eius Pellibus quæ vili venduntur, incolæ ſibi pelliceas veſtes parant. Deinde Adenam proficiſcendo lapideus

pons

pons transeundus cornui fluminis, quod forte Pyramus est, impositus, cui contigua est Arx, ad dextram in Scopulo, aditu difficili sitat: Inde id flumen diu sequendum est, donec ad vrbis cuiusdam, quæ Beloni opinione Cæsaria Ciliciæ appellata fuit, ruinas venitur, vbi alio ponte Flumen superatur. Illius regionis flumina tametsi nauigabilia naues non habent, nam cum regio deserta sit, nemo istic negociatur. Sultani Aegypti dominium eo vsque extendebatur, isticque erant Limites, qui Arabicam linguam, à Turcia distinguebant, quique olim Arabum imperium, à Turcico separabant. In ruinis illis Cæsareæ nihil conspicitur, præter Car. Bassara, & quædam Tuguria. Superato ponte, fluminis cursus ad sinistram sequendus, veniturque in campestria steriliaque loca late patentia, quæ à nemine peculiariter possidentur, sed omnibus, qui suos greges pascere istic volunt, libera sunt. Aluntur in hac planicie frequentes Veruecum & Caprarum magni frequentesque greges, ingentem adferentes quæstum suis dominis, cum ex Butyro, tum ex Caseo. Turcarum rustici procul ab vrbibus per campestria loca errabundi vagantur tota æstate, sui gregis curam habentes; cumque fictilibus vel ligneis vasis careant, iugulata Oue vel Capra, pellem eius inuertunt, Vtremque conficiunt, quem Butyro vel Caseo implent: Aluum etiam diligenter adseruant, nam ea Butyrum excipiunt prius coctum, deinde refrigeratum: singulæ Alui tricenas vel quadragenas Libras continent, Vtres ve-

ro plures quinquagenis. Mengrelliæ incolæ pelles Bubulas & Vaccinas recenter detractas Butyro implent quod Constantinopolim venale aduehunt, quemadmodum ex Narbonensi Gallia, in caprinis pellibus Oleum fertur in alias regiones. Inde iter dirigetur ad Septentrionem, varijsque locis inueniuntur Mapalia & Tentoria miserorum rusticorum, qui æstate ex vrbibus & pagis discedunt, vt per campestria vagentur, in hibernum vsque tempus; isticque rem domesticam ea ratione curant, qua in vrbibus vel pagis facerent. Ii cum octiduo hæserunt, vno in loco, abscedunt in alium. Tentoria sua, ex Tegetibus confecta, & Penula tecta secum asportant: cum vero in vrbem redeunt, complicant denuo, & diligenter adseruant, donec hiems præterierit, quæ apud Aesiaticos non minus sæuit, quam in media Gallia. Segnes sunt rustici Turcici, terramque nulla industria colunt: præsertim opulentiores rustici perpetuo ociosi sedent, & nisi ab ipsorum mancipijs Solum excoleretur, rari coleretur agri. Inde venitur Adenam.

ADENA magnum est oppidum, hoc est ingens pagus, quo admodum frequens aditus patet, elegantemque & latum habet pontem lapideum, fluuio à Turcis Scelck mark dicto impositum: oriter is in Armenia minore, Lydiamque & Ciliciam perluens, exonerat se in mare mediterraneum sub Rhodo: nauigabile non est, quoniam plurimum Sabuli prouoluit. Adena mœnibus cincta non est, sed Arcem habet 4.

quadrangulis Turribus infirmis præditam. Istic omnis generis victui necessaria inueniuntur, & vinum: nam incolæ Græci sunt, & Iudæi, & Armeni. Ipsi quoque Turcæ vites colunt, vt vuas passas habeant. Monetæ mutatio istic est, nam cum hactenus per Aegyptum, Syriam & Ciliciam Meideinos expenderit viator, illos qui supersunt, in Asperos permutare debet. Istic etiam desinit Arabicæ linguæ vsus, & Turcico deinde sermone agendum est. Turcæ suas merces pondere vel mensura licitantur, iusto sane precio, nec plus soluunt peregrini quam eorum vicini. Panis etiam ad pondus venit, inde fit vt male coquatur. Carnes sallitæ, magno apud illos in vsu sunt: eas recens Sale exemptas, Cumini puluere inspergunt, & appensas exsiccant. Magno æstimantur eiusmodi carnes exsiccatæ, cum pacis tum belli tempore: eis enim crudis cum Cepa vescuntur iter facientes. In Creta & Chio moris est apud rusticos, vt integrum Leporem, etiam Hircum ferum, Veruecem quoque in frustra concisum exsiccent; primum autem paululum saliunt; deinde Tegetibus complanant, atque in Clibano resiccant Qui montem Taurum superare volunt, in triduum annonam sibi parant in Adena: nam inde Heracleam, tridui iter est per sterilia loca. Tapetes fiunt in Adena quorum maxima pars ignis calore parari solet, pileorum & Gausapũ more, veraq; (vt quod est dicatur) sunt Gausape, Tapetũ in modũ cócinnatã, quibus Turcæ peregre proficiscétes indormiunt: leuia e-

sunt & mollia. Mane Adena digressus viator, atque inter Occidentem Septentrionemque tendens, per planiciem iter facit vsq; ad meridiem, tunc mons Taurus scandi incipiendus, quiescendum que vbi nox eum oppresserit, ignisque struendus ex præcisis arboribus. Postridie in ascensu pergendum, via admodum difficili, donec ad summum verticem perueniatur quod dimidij diei spacio fit. Diu per montis fastigium iter faciendum est, nondum tamen summum montis iugum superatum erit, sed vtrinq; sunt alij montes. Cum sub Arcem qnandam in saxo sitam peruenerit viator, pedentim incipiet descendere, inuenietque ad præalti illius montis radices Car-Bassara contiguum Thermis muro lateritio inclusis. Aqua nonnihil Sulfur redolet, sed eius excrementa in Lapidem non coalescunt, quemadmodum Thermarum Patauinarum, & Prusæ. Deinde descendens viator Labentem ex monte Riuum sequetur, sed conscendendum denuo vicini montis iugum, continuatoque itinere (in monte tamen adhuc versans) vrbem Heracleam procul in planicie sitam perspicuè contemplabitur; vlteriusque in descensu progrediens, plerosque pagos secundum montes sitos videbit, qui à Borea & Thracia ventis liberi sunt, atque Absinthij & Ambrosiæ magnam copiam ferunt. Heracleæ planicies admodum fœcunda est, per omnia exculta multisq; pagis habitata: nã Riui è mõtibus labẽtes, irrigant hortos & vireta, in quibus omnis generis fructiferæ Arbores colũtur vt

Persi-

Persicæ,Corni,Pruni, Pyri, Amygdalæ, Punicæ, Aureæ,aliæque similes hortenses. Amplus est pagus apud Heracleam,qui à Christianis Græcis habitatur,quorum lingua vulgaris, pura Græca est: alius etiam est Christianorum Armeniorum:vtrique diligentes admodum sunt hortorum & vinetorum cultores,cumque aqua abundent,varia herbarum culinariarum genera in ipsorum hortis inueniuntur,quæ in Gallia conspiciuntur. Inde venitur Heracleam.

HERACLEA,prima est à Tauro monte vrbs, ad ipsius radices sita vbi panis,vnum,carnes & reliqua vsui apta inveniuntur. In planicie illa Heracleana,aluntur magna armenta,plus 4. millibus Equorum constantia, è quibus singulis annis plures sexcentis deliguntur ad bellum apti. Eius regionis Equi admodum æstimantur Caramaniq́ue appellantur. Patet Heracleana planicies ad bidui iter, ijs tamen locis duntaxat habitata quæ aqua abundant.Iconium quod vulgo Cogne dicitur, Heraclea tendens viator, iter faciet per planiciem quæ Canalibus ductis rigatur,vt Damasci.Multi apparent Pagi,procul inde dissiti secundum montium Radices:3.lignei Pontes superandi,nam frequentes istic sunt Canales & Rivi. Secundum rotundum Tumulum iter faciendum,qui humana artè exstructus videtur, nam æqualiter assurgit,atque Fossis aqua plenis cinctus est. Inde loca sunt admodum lapidosa, sed Arboribus carentia,vsque ad Car-Bassara iuxta fontem in via regia,vnde digressus viator in ampla,campestria-

atque loca, nuda & Arboribus carentia peruenit,ex quibus hinc inde montes procul dissiti conspiciuntur,in quibus non nisi in summo vertice nascuntur Arbores. Eius regionis Capræ tenui adeo Lana sunt vestitæ, vt Sericum ipsum tenuitate,prouocet,candore Niuem. Maiores non sunt Gallicis Arietibus, nec vt Oues tondentur, sed velluntur: Carnes non minus suaues quã Veruecinæ,neque ferinum quid piam redolent: Tenuissimi elegantissimique Panni siue vndulati ex huiusmodi Caprarum Lana texuntur. Sunt ea cãpestria admodum deserta cum Riuis & Fontibus careant.Inde venitur Sarameli.

SARAMELI amplus est pagus.Hic Scopæ fiũt ex Ambrosia.Hinc per campestria loca prosequendo iter,venitur Iconium.

ICONIVM veteribus dictam Vrbem,nunc Cogne,non procul ab Altis montibus sitam, irrigant plerique Rivi ex ijs montibus delabentes.Eius mœnia ex vario lapidum genere sunt exstructa,vt Constantinopolitana,illorumque ambitus orbicularis est. Turres vero illis impositæ raræ sunt & quadrangulæ.Vetustam non esse, ipsius vrbis mœnia,facilè conijcere licet ex marmore ꝙ ex templis sublatum,cui epitaphia Græcis characteribus inscripta sunt.Eam à Christianis aliquando possessam fuisse,Cruces & earum vestigia satis demonstrant.Pars vrbis,qua egressus est in planiciem,Orientem spectat:ad eam vero vrbis Portã, quæ inter Orientem & Meridiem vergit,marmoreus est Hercules,Turri vicinus extra mœnia,sed cui

cui Turcæ caput ademerunt. Octo habet Portas Iconium, habitaturque à Græcis, Turcis, Arabibus & Armenis. Vites istic diligenter coluntur, redduntque generosum vinum. Elegantiores Iconij Fabricæ Mesguedæ sunt, Thermæ & Car-Bassara. Istic non vtuntur alia ligna, quam Iuniperi maioris. Iconio iter faciendum versus montem, qui superãdus est; eo cõscenso diu per Pinastri syluas iter faciendũ vsq; in pagũ in quo Car-Bassara. Subsequẽs iter molestum est, quod alternis perpetuo ascendendũ vel descendendũ est. Frequẽtes habet hæc regio incolas & pagos. Hic Oxygala inuenitur, ędulium Turcis admodum vulgare, pręsertim æstate. Illam Tabernæ perpetuo venalem habent, in magnis Lancibus, præcium in singulas constitutum vnicus Asper, qua quatuor Turcæ saturari queunt. Non diu iter faciendum, quin montes egressus viator, in campestria Pamphylię perueniat, quæ regio cum Cilicia, Caramania nuncupatur, Sangiacorumque 7. sedes est, veniturque Ancyram, iter faciendo inter elegantissimas fructiferas arbores humiles.

ANCIRA veteribus dicta vrbs, nunc Angouri, totius regionis estceleberrima, propter Panni vndulati frequentissimum mercimonium, qui (Pannus) in ea solum vrbe texitur, ex mollissimis villis Caprarum, quæ in Cilicia & Pamphylia duntaxat reperiuntur. Deinde peruenitur Acharam.

Achara

ACHARA Armeniæ maioris vrbs,(vt Turcicæ ditionis magna ex parte oppida)mœnibus cincta non eſt,Sepulchra iſtic viſuntur ſaxea,Latinis literis inſcripta;quæ ſubFontibus collocata,propter concavitatem,conſeruandæ Aquę nunc ſeruiunt,ad aquanda peregrinorum iumenta.Sita eſt Achara apud Lacum & magnum Stagnum,ſecundum quod,diu iter faciendum eſt. Varij generis piſces in eo capiuntur,vt Tincæ,Lucij, Cyprini,Bramæ. Achara digreſſus viator, per eadem campeſtria iter proſequetur, ſecundum colles multos pagos viſurus, tam ad dextram quã ad ſiniſtram.Inde veniet Caracharam.

CARACHARA, id eſt Arx nigra oppidum. Magna hic habent fictilia vaſa,ijs ſimilia,quibus Gallicæ mulieres vtuntur,dum pannos Lineos eluunt,Gallicoque idiomate(cuviers de terre) hoc eſt Cupæ fictiles appellantur; ea ad dimidiã altitudinem terra recondunt;cumque ſint in imo perforata,Canalem orbicularem ad latus in terra faciunt,qui reſpondet imo fictili: Tranſuersũ autem iacentè fictili,& Canalem ad latus habente, lignum ſiue Carbones in imo repoſiti facile flammam concipiunt,atque facile vas calefaciũt vndequaque.Piſtor qui Farinæ maſſam fermentatam habet,tenues placentulas facit;eaſque in Tegete curva & Fornicem æmulante, vt Pileus largæ,reponit,manum deinde in Tegetem imponẽs, placentulas,Fornici Fictilis iam feruidi,applicat,

eaque

eaq; ratione Placētulæ pendētes facile coquūtur: Piſtor autē cum vnā Placentulā iam coctā adimit, alterā coquendam eodem loco reponit, multoq; ſimiles, vaſis Fornice ita propendent. Quo vero fa cilius eas eximere queat, Furculam habet Vnci modo incuruam, quam ſiniſtra tenens, placentulas propendentes apprehendit, dextra autem lon gam Spatulam habens, eas decutit. Piſtor autem prolixan Barbam alere non debet: nam facile à flamma adureretur. Incolæ has Placentulas adhuc calentes emunt, & cum Muſto edunt proque delicijs habent: hibernus potiſſimum eſt cibus, nam æſtate fructus ſimiliaque eduntur.

Duplici via Achara Conſtantinopolim proficiſci poteſt viator, vel per montis Olympi iuga, quæ compendioſior eſt, vel per illius radices, quę longior: vtraque via in Gilatia, ſiue in Gallogræcia eſt, nam Paphlagoniam egreſſis, in Galatiam veniendum eſt. Si niues ſolutæ ſunt, eam quæ per montium Phrygiæ iuga ducit ſequi præſtat, licet montem Ceniſium altitudine ſuperent. Paphlagoniæ porro celebrior vrbs eſt. Totia olim Theodoſio Gangrorum appellata. Galatiam ingreſſi, qui viam ad ſiniſtram ducentem ſequuntur, ad vr bem Cute nuncupatam perueniunt.

CVTE, nonnulli Latine Cutiam vocauere, at Plinius Conteium veteri nomine dixit. Fuit olim, vt etiam nunc eſt, vrbs admodum celebris: Arcem adhuc integram retinet in Tumulo ſitam, firmiſque mœnibus præditam, in cliuo propendentem,

dentem,atque in vrbem ferè pertingentem. Plerumque ex Beglerbeis minoris Asiæ vnus Contiei habitare solet,quoniam primaria nunc est eius regionis,olim vero Gordunus. Omnis generis annona Contei venalis reperitur,vti panis, vinum, carnes,nam ab Armænis,Iudæis & Græcis incolitur. Istic inuenitur Rusma ab incolis sic appellati Fodina,quod omnibus Turcico dominio subditis maximo in vsu est;nemoque est qui illius nomen aut facultatem ignoret. Rusina ferri excremento persimile est,sed leuius,nigrum,adustumque quidpiam referens;fodina enim est leuiter adusta. Omnes Turcicæ fœminæ, iuuenculæ & vetulæ,nuptæ & innuptæ(quæ quidem pilosæ sunt) cuiuscumque tandem nationis, Turcicæ, Græcæ, Armeniacæ,Iudiacæ & Christianæ ad depillandum eò vtuntur,non sine ratione. Nam quæ Dropace pilos auferre malunt,quam Nouacula admodum commodum illud reperiunt. Rusmati in tenuissimum puluerem contuso,Calcis viuæ dimidiam partem adijciunt,atq; infictili, aqua macerari sinunt: Fœminæ Balnea ingressuræ, partes quas glabras esse cupiunt,eo inungunt, atque inherere sinunt quanto tempore,ad coquendum ouum requiritur;deinde experiuntur an Pili decidere velint: sudore enim cutem penetrare incipiente,pilorum radices laxiores redduntur, & sponte decidunt,parte abluta calida aqua, & manu duntaxat ad partem adducta. Adeo temperatum est hoc Psilothrum,vt non vrat, locaque leuia & glabra reddat,nullo Pilorum manente vestigio;vt vetulæ iuuenculæ quodammodo reddãtur.

tur. Fœminæ ergo peculiare hoc medicamentum sibi vendicarunt, quæ cutem leuem & glabrā habere cupiunt, alioqui aspera & rugosa futura, si Nouacula raderentur. Relicto Conteio, viamque quæ in montem ducit sequens viator in pagum venit, inter valles Olympi, qui admodum latè patet situm. Indeque digressus ei per montem iter faciendum, in quo superando dies insumitur. In ipso montis supercilio densa Nix reperitur: ingens enim quod in media aeris regione est frigus, nunquam istic mitescit, eaque est causa, cur in celsorum montium iugis summum semper sit frigus, Nixque insidens, non colliquescat. Deinde alius est pagus inter montes situs. Inde plane ex monte descenditur in planiciem amplam, & vt mare æquatam, vberis admodum glebæ, Oryza consitam. Nam plerique Riui ex montibus vndique delabētes eam rigant, facileque per Cataractas aqua & retinetur & emittitur. Oryzam, Turcæ in iusculo coquunt, denique ebullire sinunt, nullo modo agitantes: qui enim dum ebullit, agitat corrumpit vt Galli, qui ex eius vncia, magnum aliquod Ficti le implent, quum Turcico more coquendo, integra Libra opus esset. Per hanc planiciem, à mane, Meridiem vsque iter faciendum, ad cuius extremum per Fauces quasdam in valles peruenitur. Inde Prusa est.

PRVSA vrbs, Regum Bithyniæ olim fuit sedes. Eam ab Hannibale conditam scribit Plinius. Admirabilis est eius situs, nam vt paulatim incrementum sumpsit, per montis accliue sparsa est. Muro

Muro non cingitur, Lugdunoque in Gallia ampli or est; varijs enim locis, per montis radices sparsa, conuallibus separatur. Cum Turcici Imperatores Phrygiam subiecissent, nec vlterius progredi possent; Regiam istic sedem constituerunt: cum autem paulatim in Europam penetrassent, Prusa relicta, primum Adrianopolim deindeque Constãtinopolim Regiam traduxerunt. Attamen Prusa etiamnum æque opulenta est ac Constantinopolis, imo hæc ab illa superatur opulentia & inhabitantium numero. Rolandi gladius adhuc ad arcis Prusæ portam pendens conspicitur. Eum Turci diligenter adseruant, nam vulgus existimat ipsum Turcam fuisse. Prusæ opulentia à Serico constat: singulis enim annis mille Cameli ex Syria & alijs Orientalibus locis, Seryco onusti Prusam adueniunt; quod istic apparatur, in Stamina deducitur, varioque modo texitur, & diuersis coloribus inficitur. Vestes ex Holoseryco varijs figuris contexto, & diuersorum colorum, Auro & Argento, interdum immixto, atque eleganter confectas, gestare solent Turcæ; quæ Vestes, ex quacunque tandem materia, sive Lanea, siue Sericea, siue è Caprarum villis confecta sint, Sericeo filo Prusæ concinnato consuuntur, Sutura quodammodo indissolubili: Turcici enim Sartores longe elegantius omnia consuunt quam Latini, vt Europæorum opera, velut Tyronum videantur, si cum Turcicis conferantur, adeo concinne illi omnia consarciunt, vt vix Suturæ appareant: in summa, in suis operis nihil quod reprehendi queat, admittunt. Tres Prusæ vulgares sunt linguæ, Hispanica inter

Iudæos, Græca, & Turcica, quæ magis vsitata est. Istic etiam sunt nonnullæ Arabicæ, Armeniacæ & Italicæ familiæ. Veneti & Chij istic Institores alunt. Duplici via Prusa Cōstantinopolim perueniri potest; marina, vel per continentem. Per Continentem quinque dierum iter est: per mare autem, biduo aut triduo eo peruenitur: nam Prusa à Propontide, dimidij diei itinere duntaxat abest. Appellitur in Sinu, Nicopolis veteribus dicto, ad pagum Montanea nomine, à quo nūc is Sinus appellationem sumpsit; locus vero est malefidus nauigijs, quia Portu caret, propterea illico in siccum Remulco pertrahuntur nauigia, ne tempestate à ventis excitata, affligantur. Eius Pagi incolæ Græcè loquuntur, boni que sunt vinitores. Caloierorum istic est monasteriū. Turcarum Imperator binas Liburnicas perpetuo habet, quæ Ianissaris mancipijs aguntur, quæque singulis diebus Mercurij (nisi tempestate impediantur) soluunt: altera ex Montanea, Constantinopolim: altera Constantinopoli Montaneam, eosque qui Constantinopoli Prusam proficisci cupiunt vel citra, vehere solent. Liburnicæ, ex Montanea soluentes, Niuem ex proximo monte, Olimpi appendice, delatam, transvehunt Constantinopolim: Sunt enim Montaneę onerarij Equi, qui Niuem è monte deferant, qua bidui spacio Liburnica onerari potest. Quotquot vtrumq; Hellesponiti & Propontidis littus accolunt, fere piscatores sunt, Græcoque sermone vtuntur.

ITER CONSTANTINOPOLI SMIElum, Iaſſum, Chotymum, Camenetiam.

CONSTANTINOPOLI Cracouiam profecturus viator, iter nauigando, per Pontum Euxinum inchoare, reliquum, terra abſoluere poteſt. Navigatur ex Boſphoro Thracio, in Pontum Euxinum: ſiniſtrum Boſphori latus lõgiſſima Oppidorum ſerie prætexitur. Dextrum non tam ædificijs oblectationi dicatis, quam collibus fructiferis, hortiſque Regijs collucet: qui ſinguli nihil aliud ſunt, quam Theſſalica illa Tempe amœniſſima, ſed longe amœniora, niſi ea Lapithæ Centauri (haud ſecus quam Heſperidum pomaria Draco ille) cuſtodierant proculque ſpectatores arcerẽt. Medio circiter inter Boſphori fauces ſpacio, Arx eſt munitiſſima qua hodie Turcæ pro carcere inſignium captiuorum vtuntur: habet tres maximas turres quarum craſſities ad 3. pedes extenditur. Muro vndique viginti duos pedes lato Arx circundata eſt. In ponti Oſtio ſcopuli duo, quos Cyaneas & Symplegades olim Græci dixerunt, ad ſiniſtram occurrunt; in quorum vno columna vetus è marmore candidiſſimo, quam vulgus Pompeij nominat, poſita eſt. In Baſi huius columnæ Inſcriptio Latinis literis inciſa eſt huiuſmodi: DIVO CAESARI AVGVSTO L. CLANNIDIVS L. F. CLA. PONTO. Inde navigatur in Ponto Euxino Smielum vſque.

Smie-

SMIELVM Turcicæ ditionis oppidum ad ripa Danubij situm est. Hic vberrima est optimorum piscium captura, atque ex eo vilitas: inter quos Cyprini immodico ab domine conspicui præcipuè commendantur : qui non in Græciam modo, verum etiam in occiduas partes venales passim transportantur; reliqua tamen edulia vt carnes & lacticinia, magno satis veneunt. Auenæ inprimis, Hordei & Fœni non exiguum pretium: aduehere illa oportet, si quis Equis suis de pabulo prospectum velit. Genus hominum in hac regione multo improbissimum, prauo ingenio, sub doloque ac versipelli. Hinc spatio 8. dierum venitur Iassum.

IASSVM satis frequens incolis & peregrinis est oppidum: quondam Palatini Moldauiæ, dũ Arx illa staret, quæ à Cosakis diruta est, domicilium. E Telonijs mercium, quæ hac tam in Poloniam, quam Turciam transeunt, vectigal maximum Palatino prouenit. Haud longo à Iasso interuallo, apud pagum Czerczoro videntur Fossæ & propugnacula, quæ Poloni ibi struxerunt, cum ante annos aliquot, denis non amplus armatorum millibus 80. Tartarorum millia, fœlici ausu, nec minore summi Imperatoris sui Ioan. Zamoscij, armatæ pariter & togatæ militiæ Principis virtute atque industria profligarent. Hinc sex dierũ itinere venitur Chotimum.

CHOTIMVM vltimum est Moldavicæ ditionis oppidum. Hic Arx visitur in ædita

pugnaret. Prioris vtriusque Voti, factus est compos: tertio Deus Christianis propitius obstitit. Hinc venitur Selybriam.

SELYBRIA ciuitas præcipuè aeris salubritate commendatur. Hinc digressus viator videt non obscura veteris muri vestigia, quem à Ponto Euxino, Selybriam vsque pertingentem. Anastasius Dicorus, aduersus Barbarorum incursiones extruxit. Deinde est Tzurulum.

TZVRVLI satis commodè stabulari potest aliquis in Car bassara, diuersorij genus id est. Arcem munitissimam hoc in loco quondam fuisse, cum ex manuscripto exemplari, tum Ioanne Zonara cognoscitur, qui in vita Mauritij Augusti scribit, Chagano cum infinita multitudine Thraciam ingresso, Romanorum ducem territum in castellum Tzuruli se conclusisse. Inde venitur Babam; indeque transmisso Euro fluuio Hapsalam.

HAPSALA oppidum, Templo & Diuersorio Mahumetis Bassæ nobile est. Hinc venitur Adrianopolim.

ADRIANOPOLIS quam Turcæ Iederne vocant, est ad fluuium Hebrum, qui præclaro ponte à Mustaphastratus est: Suburbanis ædificijs ita tumet, vt, si Imperij Turcici fœlicitas perennauerit, aliquorum iudicio altera Constantinopolis futura sit, quando nō minus, quam

 hæc,

hæc, à mercatoribus, & omnis generis opificibus frequentetur. Vlterius progressus viator, transmissoque Rhodopes montis iugo, 7. dierum itinere venit in Haidosch. Per hæc loca transeuntibus puellæ rusticanæ, viatoribus, panes subcinericios, recenti à foco iamnum calentes, anseres, pullos gallinaceos, gallinasque, commodo satis pretio venales offerre solent.

HAIDOSCH oppidum est. Exiguo ab hoc spatio vetustæ cuiusdam Arcis in ædito quodam monte ruinæ videntur. Hinc per arctissimas cuiusdam montis, quem incolæ Balchanum nominant, angustias, perreptatur Provadiam. In hoc itinere interdum misellli alicuius Christiani tugurijs excipitur viator, quæ tam angusta sunt, vt sæpe caput sub tecto reclinans, pedes extra ianuã habere cogatur.

PROVADIA est in loco natura munitissimo. Altissimis & præruptis cingitur Rupibus (in quarum vna etiam Arx sita est) ab vtraq; parte, veluti continuo quodam muro. Hæc ciuitas à mercatoribus, præcipuè Ragusæis, ob mercatum pellium Bufalorum, quibus ea regio abundat, frequẽtatur. Ex his angustijs venitur Basarzicum, deindeque ad Carasu.

CARASV, id est nigra aqua, oppidulum, à lacu sibi vicino nomen habet. Inde per campos planissimos, quos Tatarski pole incolæ appellant, venitur Babam.

Baba

BABA vrbs, quantum ex ruderibus conijci potest aliquando maxima fuit, sed à Cosakis misere diruta, ac solo æquata iacet. Hinc venitur in vicum Monaster.

MONASTER vicus vnico milliari à Danubio distat. Inde est Oblucz ze.

OBLVCZICE, siue vt Turcæ nominant Sakeczy pagus est ad Danubium. Hinc est oppidum Hus.

HVS oppidum non tam Vallachis, quam Hũgaris incolis frequens est. In omnibus oppidis quæ superius nominantur, si ea, quæ supra Adrianopolim sita sunt, excipias, nihil præter barbariem meram, id est, hominum ad egestatis terminos redactorum illuviem, locorumque vastitiem ac solitudinem videtur. Deinde venitur Camenetiam.

CAMENETIA super arduam clivosamque Rupem condita est, quæ Fossa naturali cingitur. Vrbem ipsam simul cum fossa Rupes altissima ita suo ambitu includit; vt mœnia Cyclopũ manibus fabricata repræsentare videatur. Huic vrbi si industria hominum accederet, naturaque artis auxilio paululum iuvaretur, vix quidquam aliud munitius Sol aspiceres. Sed gentes Sarmaticæ, non admodum vrbium munitionibus delectari videntur, totum Regni sui columen, non in murorum firmitate, sed in Equestrium copiarum præsidijs armorumque atque animo-

rum robore collocant. Toto hoc tractu sunt homines fœdo & insolyto capillorum vitio, quod suo idiomate Gosciec indagitant, laborantes: quorum crines in nodos inexplicabiles contorti conglomeratique, è capite in humeros vsque dependent qui non malè Pilulis luteis ouium caprarumve clunibus inherentibus comparari possunt; Malum hoc medelam non admittere, nec sine manifesto, vitę discrimine resecari posse; quin & ei obnoxios statis temporibus Lumbagine, capitis, artuumq; doloribus vexari, eiusq; nullam aliam esse causam, quā Tyræ fluminis potum, incolæ persuadere alijs volunt. Hinc quinque dierum itinere venitur Leopolim.

LEOPOLIS vrbs satis est munita. Emporio vini Cretici aliarumq; è Turcica mercium, adhæc ciuium, erga aduenas comitate florens est, & sede Episcopali non ignobilis. Sunt in hac vrbe quatuor diuerse sectę, nimirum Græca, Latina, Armenica, & Iudaica, Reformatæ tamen Religioni summo studio, ac vigilātia mirifica, obsistunt. Hinc est Iauorow.

IAVOROW oppidum domicilium est illustris ac generosi Ioannis Felicis Herbulti, qui ante paucos annos ad Imperatorem Turcarum, cum magnā laude sua, Oratorem egit. Post Iavorow est Iaroslavia.

IAROSLAVIA oppidum, cum Iesuitarum Seminario, tum mercatu Equorum & Boum,

qui

qui singulis annis xv. Augusti ibi celebratur, imprimis spectabile est. Hinc venitur Niepolomice.

NIEPOLOMICE locus, si quis alius in Polonia, pingui ferina abundantissimus est, eoque nomine venationibus Regis Poloniæ imprimis celebris. In itinere quod ducit Cracoviam occurrit Collis rotundus & fastigiatus, memoriæ, vti tradunt, Vandæ Reginæ, dum singuli Ciues tantum terræ, quantum Pileolo suo capere poterant, aggererent, excitatus, paulo inde est Cracouia.

CRACOVIA vrbs quæ & Regia, principem locum in Polonia tenet. Nonnulli putant eam à Ptolomæo, voce ab appellatione Cracouię non remota, Carodunum nominari. Iacet ad fluuium Vistulam, qui etiam Arcem Regiam in editiore loco positam alluit. Ipsa ciuitas ædificiorum splendore, omniumque rerum affluentia, ad hæc vario disciplinarum genere, cum claris Germaniæ vrbibus certat. Subitur hic quædam immensæ profunditatis Specus, in quo belluam quandam Holophagum, quæ quotidiè multos homines absumebat, habitasse, vulgus sibi persuadet: quod tamen Fabulæ quam historiæ similius, doctiores rident. Extra vrbem, qua iter est in Hungariam, sunt Salinæ præstantissimæ, quales nec in vniuerso orbe extare existimatur, quasque omnibus nationibus pro miraculo Poloni ostentare solenne habent. In quas cum se

aliquis dimittit, putat se in Abyssum terræ descendere: Columnis è Sale excisis salinarum concameratio, cui & Oppidum impositum est, fulcitur, quæ & Porticus efficiunt tam amplas, vt non opus sit inter ambulandum caput demittere.

ITER AVGVSTA VINDELICORVM BRIANCONEM, EBREDVNVM, VVLGO Ambrun. SIGESTORIVM, vulgo Cisteron. AQVAS SEXTIAS, vulgo Aix. MASSILIAM, vulgò Marseille.

Taurinum vsque numerantur millia. German. 39½. & Italica 134.

Rivoli	6	*S. Antonij*	2
S. Michel		*S. Ambrosio*	2
S. Georgio	6	*Bosolengo*	2
o. *Susa*			4

Mill. Ital. 156. Germ. 39½.

SVSA oppidum iuxta montes Cinisij radices est. Excisum à Friderico Aenobarbo produnt historiæ. Vide Tabellam Delphinatus. Exinde sūt milliaria Gallica.

Esilles 3 *Vrzes* 4 *Sexane* 3 o. *Briancon* 4

BRIANCONVM situm est in montibus. A suo nomine regio Brianconnois dicitur.

S. Martin 2. *S. Crespin* 3. o *Ambrun* 4. *Simul* 9.

EBredunum vulgo Ambrum dicta ciuitas, nomen habet ab Ebris idolo quod ibi colebatur. Alij ita dictam volunt, à ruptura montis: Dunum enim

enim lingua qua Galli antiqui vsi sunt, montem significat, Metropolis est regionis Delphinatus superioris, sita in Rupe, in meditullio latæ planiciei, quæ vndique cincta est montibus, haud sterilibus, sed qui ab imo, vsque ad Cacumen, vino & fructibus abundant. Multis in locis (tanta est hic aeris clementia & serenitas) colligitur Manna, ros cœli mirabilis, qui tam lautus & delicatus est, quam alius, qui in toto Orbe reperiri queat. Hic etiam montes Agaricum, Terebethynam, aliaque simplicia proferunt. Romano Imperio subdita fuit Ebredunum, sicut & Arelatū, Vesontio, & aliæ vrbes: sed cum Romani Imp. ab Bosonis posteris, consecuti essent Franciæ prouincias quas Rom. Imp. & Franciæ Rex Carolus Calvus Bosoni dederat (qui vxorē habuit Hermengardam, quę soror erat Imp. Calvi vxoris) eiusdē ciuitatis Archiepiscopo eam donarunt, quem in Principium Imperij ordinem evexere, eiq; omnia iura Regalia, tam administrationis Iusticiæ, quam cudende monete, aliasque eius generis prærogativas concessere: ideoque Delphini, qui terras in hoc Principatu possidebant, eas se Archiepiscopi beneficio possidere fatebantur. Populus Ebredunensis modestus est, quietis amans, obediens Magistratui; non insidiosus, labori agricultureq; deditus, remq; familiarem diligenter curat.

Sarbe 1	*Des Croles* ½	*Rosset* 2½
Espinal 1	*Theus* 1	*Romolon* 1
Curban 1	*Claret* ½	*Mebec* ½
Cogoner ½	*Thest* ½	*Valernes* 1
O. Cisteron	1.	*Simul* 10

SIGES

SIGESTORIVM vrbs antiquis dicta, nunc Cisteron dicitur. Episcopali sede claret.

Pucpus	1	*Ch. Arnoul*	1	*Vouls*	½
Monfuron	1	*Pierrever*	½	*Monfort*	½
Pierni	½	*Lasete*	2	*Tourdaques*	1
Pertuis	½	*Cabrellon*	1	*Villeneuve*	½
S. Comodet	1	*Voueles*	½ 0	*Aix*	1

AQVAE Sextiæ à Curio sexto Consulæ Rom. dicta vrbs, vulgo Aix dicitur. Aquarum calidarum Balnea habet, aquæq; calidæ in ea vndique scaturiunt. Parlamenti & supremæ Curiæ comitatus Prouinciæ Sedes hic est.

Bove 1 *Serences* 1½ *Marseille* 1¼ *Simul* 4

MASSILIA vulgo Marseille ciuitas, colonia est Græcorum, à Phocensibus Asiæ populis cōdita, quos Pedanius, eo deduxit: omnes alias Galliæ ciuitates ciuilitate, affabilitate humanitate & sciētia superat; nō minorē sibi gloriā parat, à litterarum doctrina & studio, quā doctæ illæ Athenæ: tam potens in mari fuit, quam Rhodij: & terra quam Lacedemonij. Romanis amica existens ab ijs prædæ exposita direptaque est. Inter Massiliam & Aquas Sextias locus est, qui vulgo (*La Baume*) dicitur.

FINIS.